SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA.

VIII.

SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA

AD USUM PRAESERTIM STUDIOSORUM THEOLOGIAE.



VIII.

EDIDIT ET COMMENTARIIS AUXIT

H. HURTER S. J.,

S. Theol. et Philos. Doctor, ejusdemque s. Theol. in
C. R. Univers. Oenipont. Professor p. o.

Cum Approbatione Celsissimi et Reverendissimi Episcopi
Brixinensis et Facultate Superiorum.

OENIPONTI.
LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA
1869.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

LIBER

DE CATECHIZANDIS RUDIBUS.

PRAECEDIT

EJUSDEM VITA
AUCTORE POSSIDIO CALAMENSI EPISCOPO.

LONDINI
apud David Nutt.

TAURINI
apud Hyacinthum Marietti.

PARISIIS
apud Josephum Albanel.

ELENCHUS OPERUM QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR:

VITA
S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
AUCTORE POSSIDIO
CALAMENSI EPISCOPO[1]).

PRAEFATIO.

Inspirante rerum omnium factore et gubernatore Deo, mei memor propositi, quo

---

[1]) Quanti facienda sit haec vita vel inde liquet, quod s. Possidius quadraginta prope annis familiariter cum s. Augustino vixerit, testis fuerit oculatus conversationis sanctissimae tanti episcopi, extremumque magistri sui exceperit spiritum (cf. c. 31). Saepe prodiit haec vita tum simul cum operibus s. Augustini, tum seorsim. Editiones, quae ceteris praeferuntur, sunt tres. Prima est PP. benedictinorum in collectione operum s. doctoris; altera Joannis Salinas Romae 1731. recusa Augustae Vindel. a. 1768; tertia, quae habetur in actis SS. Augusti, t. 6. d. 28. Ipse

per gratiam Salvatoris, omnipotenti ac divinae per fidem Trinitati servire decrevi, et antea in vita laicorum, et nunc in officio episcoporum studens ex qualicunque accepto ingenio et sermone aedificationi prodesse sanctae ac verae Christi Domini catholicae Ecclesiae, de vita ac moribus praedestinati, et suo tempore praesentati sacerdotis optimi Augustini, quae in eodem vidi, ab eoque audivi, minime reticere debeo. Id enim etiam ante nos factitatum fuisse a religiosissimis sanctae matris Ecclesiae catholicae viris legimus et comperimus, qui divino afflati Spiritu, sermone proprio atque stilo, et auribus et oculis scire volentium, dicendo et scribendo similia, studiosorum notitiae intulerunt, quales quantique viri ex communi Domini gratia in rebus humanis et vivere, et usque in finem obitus perseverare meruerunt. Idcirco ipse quoque dispensatorum omnium minimus, fide non ficta, qua Domino dominantium omnibusque bonis serviendum et placendum est fidelibus, de praedicti venerabilis viri et ex-

---

Possidius episcopus fuit calamensis in Africa saltem ab a. 400. Quod strenuus esset fidei catholicae propugnator, a Genserico, teste Prospero in chron. ad a. 437. sede sua pulsus fuit. Quo anno obierit, incertum est.

ortu et procursu, et debito fine, quae per eum didici et expertus sum, quamplurimis annis ejus inhaerens caritati, ut Dominus donaverit explicandum suscepi. Verum summam quaeso majestatem, quo munus hujusmodi a me arreptum ita geram et peragam, ut nec Patris luminum offendam veritatem, nec bonorum Ecclesiae filiorum ulla ex parte fraudare videar caritatem. Nec attingam ea omnia insinuare, quae idem beatissimus Augustinus in suis Confessionum libris de semetipso, qualis ante perceptam gratiam fuerit qualisque jam sumpta viveret, designavit. Hoc enim facere voluit, ut ait Apostolus (2. Cor. 12, 6), ne de se quisquam hominum supra quam se esse noverat, aut de se auditum fuisset, crederet vel putaret, humilitatis sanctae more utens, et jam nullum fallens, sed laudem non suam, sed sui Domini de propria liberatione ac munere quaerens, ex iis videlicet quae jam perceperat, et fraternas preces poscens de iis quae accipere cupiebat. *Sacramentum* igitur *regis*, ut angelica auctoritate prolatum est, *bonum est abscondere: opera autem Domini revelare et confiteri, honorificum est* (Tobiae 12, 7).

CAPUT I.

Augustini ortus, conversio et baptismus. Ambrosii doctrina revocatur ab errore manichaeorum. Baptizatur ab eodem.

Ex provincia ergo africana[1]) civitate tagastensi, de numero curialium parentibus honestis et christianis progenitus erat, alitusque ac nutritus eorum cura et diligentia impensisque, secularibus literis eruditus apprime, omnibus videlicet disciplinis imbutus, quas liberales vocant. Nam et grammaticam prius in sua civitate, et rhetoricam in Africae capite Carthagine postea docuit. Consequenti etiam tempore trans mare in urbe Roma, et apud Mediolanum, ubi tunc imperatoris Valen-

---

[1]) *Africana.* Libentius legerem *Africae,* ut Mss. tres codices ferunt, ait Salinas. Ratio illius est, quod provincia africana proconsularem designet proprie, cum sanctus in Numidia sit natus. At Possidius forte ad propriam illam significationem minus attendit. Ita editores Act. SS. Natus est autem s. Augustinus die 13. Nov. a. 354. Cum vero Possidius eundem affirmet *christianis* parentibus progenitum, prolepsi utitur; nam Patricius, Augustini pater, diu a fide christiana fuerat alienus, et nonnisi sub extrema vitae tempora est conversus.

tiniani minoris comitatus fuerat constitutus. In qua urbe tunc episcopatum administrabat acceptissimus Deo, et in optimis viris praeclarissimus sacerdos Ambrosius. Hujus interea verbi Dei praedicatoris frequentissimis in ecclesia disputationibus astans in populo, intendebat suspensus atque affixus. Verum aliquando manichaeorum apud Carthaginem adolescens fuerat errore seductus, et ideo ceteris suspensior aderat, ne quid vel pro ipsa, vel contra ipsam haeresim diceretur. Et praevenit Dei liberatoris clementia sui sacerdotis cor pertractantis, ut contra illum errorem incidentes legis solverentur quaestiones, atque ita edoctus sensim atque paulatim haeresis illa miseratione divina ejus ex animo pulsa est[1]): protinusque ipse in fide catholica confirmatus, proficiendi in religione eidem amoris ardor innatus est, quo propinquantibus diebus sanctis Paschae, salutis aquam perciperet. Et factum est divina praestante opitulatione, ut per illum talem ac tantum antistitem Ambrosium, et doctri-

---

1) Lectu dignissima sunt, quae ipse Augustinus hac de re in suis Confessionibus narrat (l. 5. c. 13.), ex quibus nonnulla dedimus opusc. t. 6, 43. Conversio autem ejus contigit a. 387.

nam salutarem Ecclesiae catholicae, et divina perciperet sacramenta.

CAPUT II.

Relictis omnibus suscipit propositum serviendi Deo, jam annis major triginta.

Moxque ex intimis cordis medullis conversus ad Deum[1]), spem omnem quam habebat in seculo dereliquit, jam non uxorem, non filios carnis, non divitias, non honores seculi quaerens: sed Deo cum suis servire statuit, et in illo, et ex illo pusillo grege esse studens, quem Dominus alloquitur, dicens: *Nolite timere pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quae possidetis, et date eleemosynam: facite vobis sacculos non veterascentes, thesaurum non deficientem in coelis,* (Luc. 12, 32) et cetera. Et illud quod dicit iterum Dominus, idem vir sanctus facere cupiens: *Si vis esse perfectus, vende omnia quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelis, et veni sequere me* (Matth. 19, 21). Et super fidei fundamentum

---

[1]) *Conversus ad Deum.* Haec desunt in variis editionibus, leguntur tamen in edit. actorum SS.

aedificare desiderans, non ligna, fenum, stipulam, sed aurum, argentum, et lapides pretiosos[1]). Et erat tunc annis major triginta, sola superstite matre, sibique adhaerente, et de suscepto eius proposito serviendi Deo amplius quam de carnis nepotibus exsultante. Nam ejus pater antea defunctus erat. Renunciavit etiam scholasticis quos rhetoricam docebat, ut sibi magistrum alium providerent, eo quod servire Deo ipse decrevisset.

CAPUT III.

Secessus Augustini. Quidam ab Augustino conversus.

Ac placuit ei percepta gratia cum aliis civibus et amicis suis Deo pariter servientibus

---

[1]) Conferri cum his debent, quae ipse scribit (ep. 157. al. 89. n. 39): „Ego qui haec scribo, perfectionem de qua Dominus locutus est, quando ait diviti adolescenti, *Vade, vende omnia* etc. vehementer adamavi et non meis viribus, sed gratia ipsius adjuvante sic feci. Neque enim quia dives non fui, ideo minus mihi imputabitur. Nam neque ipsi apostoli, qui priores hoc fecerunt divites fuerunt. Sed totum mundum dimittit, qui et illud quod habet et quod optat habere dimittit. Quantum autem in hac perfectionis via profecerim, magis quidem novi ego, quam quisquam alius homo, sed magis Deus quam ego. Et ad hoc propositum, quantum possum viribus, alios exhortor. Et in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est.‟

ad Africam et propriam domum agrosque remeare[1]). Ad quos veniens, et in quibus constitutus ferme triennio, et a se jam alienatis curis secularibus, cum iis qui eidem adhaerebant Deo vivebat, jejuniis, orationibus bonisque operibus, in lege Domini meditans die ac nocte. Et de iis quae sibi Deus cogitanti atque oranti intellecta revelabat, et praesentes et absentes sermonibus ac libris docebat. Contigit forte eodem tempore, ut quidam ex iis, quos dicunt agentes in rebus, apud Hipponem-regium[2]) constitutus, bene christianus Deumque timens, comperta ejus bona fama atque doctrina, desideraret atque optaret eum videre, promittens se posse mundi hujus omnes contemnere cupiditates atque illecebras, si aliquando ex ejus ore Dei verbum audire meruisset. Quod cum ad se fideli fuisset relatione delatum, liberare animam cupiens ab hujus vitae periculis morteque aeterna, ad memoratam ultro atque confestim venit civitatem, et hominem visum allocutus frequentius atque exhortatus est,

---

[1]) Rediit Augustinus in Africam post medium a. 388.

[2]) *Hippo-regius* urbs erat Numidiae maritima hodieque in ditione algeriana est sita ac *Bona* dicitur, ut geographi passim habent (Acta SS.).

quantum Deus donabat, ut quod Deo voverat redderet. Ac se ille de die in diem facturum pollicebatur, nec tamen in ejus tunc hoc implevit praesentia. Sed vacare utique et inane esse non potuit, quod per tale vas mundum et in honore, utile Domino et ad omne opus bonum paratum, in omni loco divina gerebat providentia.

CAPUT IV.

Capitur ad presbyterii gradum.

Eodem itaque tempore in ecclesia hipponensi catholica Valerius sanctus episcopatum gerebat. Qui cum flagitante ecclesiastica necessitate, de providendo et ordinando presbytero civitati plebem Dei alloqueretur et exhortaretur, jam scientes catholici sancti Augustini propositum et doctrinam, manu injecta (quoniam et idem in populo securus et ignarus quid futurum esset astabat[1]).

---

[1]) Contigit hoc a. 391. Sed audiendus est ipse Augustinus narrans hoc s. 355. al. 49. de div. c. 1. ad auditores suos hipponenses. „Ego, inquit, quem Deo propitio videtis episcopum vestrum, juvenis veni ad istam civitatem, ut multi vestri noverunt. Quaerebam ubi constituerem monasterium et viverem cum fratribus meis. Spem quippe omnem seculi reliqueram, et quod esse potui, esse nolui, nec tamen

Solebat autem laicus, ut nobis dicebat, ab eis tantum ecclesiis. quae non haberent episcopos, suam abstinere praesentiam); eum ergo tenuerunt, et, ut in talibus consuetum est, episcopo ordinandum intulerunt, omnibus id uno consensu et desiderio fieri, perficique

---

quaesivi esse quod sum. *Elegi in domo Dei mei abjectus esse, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum* (Ps. 83, 11.). Ab eis qui diligunt seculum, segregavi me; sed eis qui praesunt populis, non me coaequavi; nec in convivio Domini mei superiorem locum elegi, sed inferiorem et abjectum; et placuit illi dicere: Ascende sursum. Usque adeo autem timebam episcopatum, ut quoniam coeperat esse alicujus jam momenti inter servos Dei fama mea, in quo loco sciebam non esse episcopum, ne illo accederem, cavebam. Et hoc agebam quantum poteram, ut in loco humili salvarer, ne in alto periclitarer. Sed ut dixi, Domino servus contradicere non debet. Veni ad istam civitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari posse Deo, ut nobiscum esset in monasterio. Quasi securus perveni, quia locus habebat episcopum. Apprehensus presbyter factus sum, et per hunc gradum perveni ad episcopatum. Non attuli aliquid; non veni ad hanc ecclesiam nisi cum iis indumentis, quibus illo tempore vestiebar. Et quia hic disponebam esse in monasterio cum fratribus, cognito instituto et votuntate mea, beatae memoria senex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc est monasterium. Coepi boni propositi fratres colligere, compares meos, nihil habentes, sicut nihil habebam et imitantes me, ut quo-

petentibus, magnoque studio et clamore flagitantibus, ubertim eo flente: nonnullis quidem lacrymas eius, ut nobis ipse retulit, tunc superbe interpretantibus, et tamquam eum consolantibus ac dicentibus, quia et locus presbyterii, licet ipse majore dignus esset, appropinquaret tamen episcopatui; cum ille homo Dei, ut nobis retulit, majori consideratione intelligeret et gemeret, quam multa et magna suae vitae pericula de regimine et gubernatione Ecclesiae impendere jam ac provenire spectaret, atque ideo fleret. Et eorum ut voluerunt completum est desiderium.

CAPUT V.

Monasterium instituit. Valerius episcopus Augustino presbytero dat potestatem coram se praedicandi verbum Dei.

Factus ergo presbyter monasterium intra Ecclesiam mox instituit, et cum Dei servis vivere coepit secundum modum et regulam sub sanctis apostolis constitutam. Maxime

---

modo ego tenuem paupertatulam meam vendidi et pauperibus erogavi, sic facerent et illi qui mecum esse voluissent, ut de communi viveremus; commune autem nobis esset magnum et uberrimum praedium ipse Deus.« Augustinus presbyter ordinatus, ut sacris

ut nemo quidquam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia, et distribueretur unicuique sicut opus erat, quod jam ipse prior fecerat, dum de transmarinis ad sua remeasset. Sanctus vero Valerius ordinator ejus, ut erat vir pius et Deum timens, exsultabat et Deo gratias agebat, suas exauditas a Domino fuisse preces, quas se frequentissime fudisse narrabat, ut sibi divinitus homo concederetur talis, qui posset verbo Dei et doctrina salubri Ecclesiam Domini aedificare: cui rei se homo natura graecus, minusque latina lingua et literis instructus, minus utilem pervidebat. Et eidem presbytero potestatem dedit coram se in ecclesia Evangelium praedicandi, ac frequentissime tractandi, contra usum quidem et consuetudinem africanarum ecclesiarum. Unde etiam ei nonnulli episcopi detrahebant. Sed ille vir venerabilis ac providus, in orientalibus ecclesiis id ex more fieri sciens et certus, utilitati ecclesiae consulens, obtrectantium non curabat linguas, dummodo factitaretur a pres-

---

vacaret exercitiis seseque rite ad tam periculosum ministerium qua precibus, qua s. Scripturae lectione praepararet, pulcherrimo libello supplici (ep. 21.) ad episcopum dato, inducias obeundi muneris saltem in sequens pascha humillime petiit.

bytero, quod a se episcopo impleri minime posse cernebat. Unde accensa et ardens elevata super candelabrum lucerna, omnibus qui in domo erant lucebat. Et postea currente et volante hujusmodi fama, bono praecedente exemplo, accepta ab episcopis potestate, presbyteri nonnulli coram episcopis populis tractare coeperunt verbum Dei.

CAPUT VI.

Conflictus Augustini cum Fortunato manichaeo.

Sane in illa tunc hipponensi urbe manichaeorum pestilentia quamplurimos vel cives vel peregrinos et infecerat et penetraverat, seducente et decipiente ejusdem haeresis quodam presbytero nomine Fortunato, ibidem conversante atque manente. Interea hipponenses cives et peregrini christiani tam catholici quam etiam donatístae adeunt presbyterum, atque deposcunt, ut illum hominem manichaeorum presbyterum, quem doctum credebant, videret, et cum eodem de lege tractaret. Quod idem, ut scriptum est, paratus ad responsionem omni poscenti se rationem de fide et spe quae in Deum est, (1. Petri 3, 15) potensque exhortari in doctrina sana, et contradicentes redarguere,

(Tit. 1, 9) minime renuit. Sed utrum etiam ille hoc fieri vellet, sciscitatus est. At illi confestim ad ipsum Fortunatum id detulerunt, petentes et exhortantes ac flagitantes, quod id minime recusaret. Sane quoniam idem Fortunatus jam apud Carthaginem sanctum noverat Augustinum adhuc in eodem secum errore constitutum, cum eodem congredi pavitabat. Verumtamen suorum maxime instantia coactus ac verecundatus, promisit in cominus se esse venturum, certamenque disputandi subiturum. Unde condicto die et loco convenerunt in unum, concurrentibus quam plurimis studiosis turbisque curiosis, et apertis notariorum tabulis, disputatio coepta primo, et secundo finita est die. In qua ille manichaeus praeceptor, ut gestorum continet fides, nec catholicam assertionem potuit evacuare, nec manichaeorum sectam veritate subnixam valuit comprobare: sed deficiens responsione, ultimo collaturum se cum suis majoribus ea, quae refellere non potuit, prosecutus est; et si sibi forte de his satis minime fecissent, suae animae consulturum: atque ita ab omnibus, apud quos magnus et doctus videbatur, nihil valuisse in suae sectae assertione judicatus est. Qua ille confusione affectus, et sequenti tempore de hipponensi

civitate profectus, ad eam amplius non remeavit: ac sic per memoratum Dei hominem omnium cordibus, vel qui aderant, vel qui absentes illa quae gesta sunt cognoverant, error ille ablatus, catholica est intimata ac retenta sincera religio[1]).

CAPUT VII.

Libri et tractatus Augustini contra fidei hostes ab ipsis etiam haereticis ingenti ardore excepti.

Et docebat ac praedicabat ille privatim et publice, in domo et in ecclesia salutis verbum cum omni fiducia adversus africanas haereses, maximeque contra donatistas, manichaeos et paganos[2]), libris confectis ac repentinis sermonibus, ineffabiliter admirantibus christianis et collaetantibus, et hoc ipsum ubi poterant non tacentibus, sed diffamantibus. Sicque, adjuvante Domino, levare in Africa Ecclesia catholica exorsa est caput quae multo tempore illic convalescentibus haereticis, praecipueque rebaptizante Donati

---

[1]) Habita est haec disputatio, cujus adhuc supersunt acta, a. 392.

[2]) *Paganos*. Editi, *et pelagianos*, reluctantibus manuscriptis, et merito quidem. Augustino enim presbytero nondum orti erant pelagiani (Salinas).

parte majorem multitudinem afrorum, seducta et oppressa jacebat. Et hos ejus libros sive tractatus mirabili Dei gratia procedentes ac profluentes, instructos rationis copia atque auctoritate sanctarum Scripturarum, ipsi quoque haeretici concurrentes, cum catholicis ingenti ardore audiebant: et quisquis ut voluit et potuit notarios adhibens, etiam ea quae dicebantur excepta, descripsit. Et inde jam per totum Africae corpus praeclara doctrina odorque suavissimus Christi diffusus et manifestatus est, congaudente quoque, eo comperto, ecclesia Dei transmarina. Quoniam sicut dum patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: ita etiam cum glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra (1. Cor. 12, 26)[1].

CAPUT VIII.

Designatur episcopus, vivo Valerio et a Megalio primate ordinatur.

Ille vero beatus senex Valerius ceteris ex hoc amplius exsultans, et Deo gratias

---

[1] In editis additur: *Per idem tempus coram episcopis hoc illi jubentibus, qui plenarium totius Africae concilium Hippone agebant, de fide et symbolo presbyter adhuc Augustinus disputavit.* Verba ex l. 1. retract. c. 17. temere huc translata; nam absunt omnino a Mss. (Salinas).

agens de concesso sibi speciali beneficio, metuere coepit, ut est humanus animus, ne ab alia ecclesia sacerdote privata, ad episcopatum quaereretur, et sibi auferretur: nam et id provenisset, nisi et hoc idem episcopus cognito, ad locum secretum eum transire curasset, atque occultatum a quaerentibus minime inveniri fecisset. Unde amplius formidans idem venerabilis senex, et sciens se corpore et aetate infirmissimum, egit secretis literis apud primatem episcoporum carthaginensem [1]), allegans imbecillitatem corporis sui aetatisque gravitatem, et obsecrans ut hipponensi ecclesiae ordinaretur episcopus, quo suae cathedrae non tam succederet, sed consacerdos accederet Augustinus. Et quae optavit et rogavit satagens rescripto impetravit. Et postea petito ad visitandum et adveniente ad ecclesiam hipponensem tunc primate Numidiae Megalio calamensi episcopo, et Valerius antistes episcopis qui forte tunc aderant, et clericis omnibus hipponensibus, et universae plebi inopinatam cunctis suam insinuat tunc voluntatem: omnibusque audientibus et gratulantibus, atque id fieri per-

[1]) Episcopus carthaginensis et totius Africae primas tunc erat Aurelius, qui cum Augustino multum laboravit contra haereticos.

ficique ingenti desiderio clamantibus, episcopatum suscipere contra morem Ecclesiae suo vivente episcopo presbyter recusabat. Dumque illi fieri solere ab omnibus suaderetur, atque id ignaro transmarinis et africanis Ecclesiae exemplis probaretur, compulsus atque coactus succubuit, et episcopatus curam et majoris loci ordinationem suscepit. Quod in se postea fieri non debuisse, ut vivo suo episcopo ordinaretur, et dixit, et scripsit, propter concilii universalis vetitum, quod jam ordinatus didicit: nec quod sibi factum esse doluit, aliis fieri voluit. Unde etiam sategit, ut conciliis constitueretur episcoporum, ab ordinatoribus deberi ordinandis vel ordinatis omnium statuta sacerdotum in notitiam esse deferenda[1]).

---

[1]) Ordinatus est episcopus Augustinus sub finem a. 395. Vetitum autem illud concilii universalis, cujus hic fit mentio, est canon 8. conc. nicaeni. Decretum vero, quod in conciliis constituendum sategit, exstat in c. 3. conc. carthag. tertii a. 397. et ita habet: „Placuit ut ordinatis episcopis vel clericis prius ab ordinatoribus suis placita conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta concilii fecisse poeniteat.“ Respicit hic Possidius ad ea, quae Augustinus et dixit et scripsit, cum Eraclium presbyterum sibi in episcopatu successorem designavit (ep. 213 al. 110); ita enim clerum populumque est

CAPUT IX.

Pugnat cum donatistis.

Atque ita factum est, ut episcopus multo instantius ac ferventius majore auctoritate, non adhuc in una tantum regione, sed ubicunque rogatus venisset, verbum salutis aeternae alacriter ac gnaviter pullulante atque crescente Domini Ecclesia praedicaret, paratus semper poscentibus reddere rationem de fide et spe, quae in Deum est. Et ejus dicta atque excepta, maxime donatistae[1]) in eadem

allocutus: „Scio quod scitis et vos, sed nolo de illo (Eraclio) fieri quod de me factum est; quod autem factum sit, multi scitis. Illi soli nesciunt, qui tunc aut nondum nati erant, aut nondum habebant aetatem sciendi. Adhuc in corpore posito beatae memoriae patre et episcopo meo sene Valerio, episcopus ordinatus sum et sedi cum illo, quod concilio nicaeno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat. Quod ergo reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo . . . Erit presbyter ut est, quando Deus voluerit, futurus episcopus.“

[1]) Cum contra nullos forte Ecclesiae Dei adversarios tam gloriose ac simul tam feliciter Augustinus pugnaverit, quam contra Donatistas, non inutile erit horum historiae synopsim, quae legitur in vita s. Augustini a maurinis edita (l. 3. c. 9. n. 1.), hic referre. „Hi haeretici se a Caeciliani carthag. episcopi communione

Hipponensi vel vicina manentes civitate, ad suos episcopos deferebant. Quae cum audissent et contra forte aliquid dicerent, aut a suis refellebantur, aut eadem responsa ad sanctum Augustinum deferebantur, eisque

---

sejunxerant a. Christi circiter 311., eo scil. obtentu, quod Felix aptungitanus, a quo fuerat ordinatus, in persecutione sacros codices tradidisset. Ipsimet a Constantino augusto judices postulaverant, a quibus primum damnati, dein ab ipso quoque Constantino imperatore, suo semper schismati pertinaciter adhaeserant. Ut autem pervicaciae suae patrocinium quaererent, hoc veluti posito a se fundamento nitebantur: Quotquot cum reo communicarent, eodem crimine teneri. Cum totus itaque christianus orbis cum Caeciliano communicaret, se a ceteris omnibus disjunxere catholicis et integrum schisma conflarunt. Scelus insuper scelere cumulantes, iterum baptizabant quotquot in eorum secta baptismum non susceperant; cum baptismum extra legitimam Ecclesiam quam suam esse contendebant, collatum prorsus invalidum esse tuerentur. Errori praeterea vim crudelitatemque adjungebant. Qui enim inter eos circumcelliones dicebantur, plagis, rapinis, incendiis, caedibus contra omnem juris ordinem impune grassabantur. Cumque non minus in se quam in alios desaevirent, ultro se in aquas et ignes immittebant, sed potissimum e summis montium cacuminibus se turmatim plusquam belluina feritate praecipites agere consueverant. Ex illo ipso uno schismate plurima sensim pullularunt. In his famosissimum fuit schisma Maximianistarum, qui a. 393. Primianum donatistarum Carthagine epi-

compertis patienter ac leniter, et ut scriptum est, cum timore et tremore salutem omnium operabatur: ostendens, quam nihil illi refellere voluerint ac valuerint, quamque verum manifestumque sit, quod Ecclesiae Dei fides

---

scopum damnarunt et in ejus locum Maximianum suffecere. Verum ceteri donatistae in bagajana civitate provinciae Numidiae congregati hoc ipso, de quo agimus, a. 394. Primianum in sedem suam restituerunt et in eos, a quibus ipse damnatus fuerat, dixerunt sententiam, in duodecim quidem ex illis nullo die praefinito, in ceteros vero, nisi ante diem natalem Domini ad suam communionem redirent. Verum, etsi hujuscemodi damnationis sententiam tulissent, nonnullos subinde post expletum praestituti temporis spatium admiserunt; imo et aliquot ex iis, quibus nullam concesserant moram, etiam velut episcopos receperunt; nullis tamen eorum, quos iidem in schismate baptizaverant, iterum baptizatis. Sic nimirum illi haeresis suae fundamenta labefactabant. Haec secta nullo licet fundamento suffulta, tantum tamen in Africa valebat, cum Augustinus in Ecclesia coepit eminere, ut trecenti et decem episcopi ad synodum bagajensem convenerint, praeter centum alios, qui Maximiano adhaerebant. Eam suo complexu majorem afrorum multitudinem continuisse docet Possidius (supra c. 3)«. Ex libris vero et epistolis quamplurimis hac in causa conscriptis necnon ex sermonibus contra eos habitis prae ceteris emicat s. doctoris nostri virtus plane admirabilis, ardentissima Dei caritas, amor erga Ecclesiam industrius et operosus, dilectio proximi summa, aestuans zelus animarum,

tenet et docet: et haec diebus ac noctibus ab eodem jugiter agebantur. Nam et epistolas privatas ad quosque ejusdem erroris episcopos et eminentes scilicet laicos dedit, ratione reddita admonens atque exhortans, ut vel ab illa se pravitate corrigerent, vel certe ad disputationem venirent. At illi causa diffidentiae ne quidem unquam rescribere voluerunt, sed irati furiosa loquebantur, atque seductorem deceptoremque animarum Augustinum esse, et privatim et publice conclamabant; et ut lupum occidendum esse in defensionem gregis sui, dicebant et tractabant: omniaque peccata a Deo indubitanter esse credendum posse dimitti iis, qui hoc facere ac perficere potuissent, nec Deum timentes, nec homines erubescentes. Et ut eorum causae diffidentia cunctis innotesceret elaboravit, et publicis gestis conventi, non sunt ausi conferre.

---

cordis latitudo ingens. Hinc ita oves errantes alloquebatur (s. 46. n. 14): „Revocabo errantem, requiram perditam: velis nolis, id agam. Et si me inquirentem lanient vepres silvarum, per omnia angusta me coarctabo, omnes sepes excutiam; quantum mihi virium terrens Dominus donat, omnia peragrabo, revocabo errantem, requiram pereuntem. Si me pati non vis, noli errare, noli perire.‟

CAPUT X.

Circumcellionum furor.

Habebant etiam iidem donatistae per suas pene omnes ecclesias inauditum hominum genus perversum ac violentum, velut sub professione continentium ambulantes, qui circumcelliones dicebantur. Et erant in ingenti numero et turbis per omnes pene africanas regiones constituti. Qui malis imbuti doctoribus audacia superba et temeritate illicita, nec suis, nec alienis aliquando parcebant, contra jus fasque in causis interdicentes hominibus [1]: et nisi obedissent, damnis

[1]) Haec forte lucem mutuabantur ex iis, quae *Optatus* milevitanus de iisdem circumcellionibus refert in sua historia de schismate donat. l. 3. n. 4. „Debitorum chirographa, sic ille, amiserant vires: nullus creditor illo tempore exigendi habuit libertatem. Terrebantur omnes literis eorum, qui se sanctorum duces fuisse jactabant; et si in obtemperando eorum jussionibus tardaretur, advolabat subito multitudo insana, et praecedente terrore creditores periculis vallabantur, ut qui pro praestitis suis rogari debuerant, metu mortis humiles impellerentur in preces. Festinabat unusquisque debita etiam maxima perdere, et lucrum computabatur ab eorum evasisse injuriis.“ Hoc igitur erat quod contra jus et fas circumcelliones operabantur, ne scil. causae hominum,

gravissimis et caedibus afficiebant, armati diversis telis, bacchantes per agros villasque usque ad sanguinis effusionem accedere non metuentes. Sed dum verbum Dei sedulo praedicaretur, et cum his qui oderant pacem, pacis ratio haberetur, illi pacem loquentem debellabant gratis. Cumque adversus eorum dogma veritas innotesceret, qui volebant et poterant, sese inde vel eripiebant vel subducebant, et paci atque unitati Ecclesiae cum suis quibus poterant cohaerebant. Unde illi sui erroris congregationes minui videntes, atque augmentis Ecclesiae invidentes, accensi exardescebant ira gravissima, et intolerabiles persecutiones unitati Ecclesiae compacti faciebant: ipsisque sacerdotibus catholicis et ministris aggressiones diurnas atque nocturnas, direptionesque rerum omnium vi inferebant. Nam et multos Dei servos caedibus debilitaverunt. Aliquibus etiam calcem

---

qui sua dederant, discuterentur, et propterea Possidius eorum notat crudelitatem et injustitiam, dum in causis interdicebant, ne homines suum repeterent jus. Cf. edit. Migne in h. l. (patrol. 32, 41). Ceterum de hac pervicacium donatistarum rabie in catholicos, praesertim ob quorundam conversionem, conferendus est ipse Augustinus ep. 93. al. 48; 105. al. 166; 159. al. 93. etc. eaque etiam occasio imparatoribus fuit condendi leges adversus illos.

cum aceto in oculos miserunt, aliosque occiderunt. Unde etiam suis iidem donatistae rebaptizatores in odium veniebant.

CAPUT XI.

Profectus Ecclesiae per Augustinum. Monasteria per ejus alumnos instituta.

Proficiente vero doctrina divina, sub sancto et cum sancto Augustino in monasterio Deo servientes, ecclesiae hipponensi clerici ordinari coeperunt. Ac deinde innotescente et claresente de die in diem Ecclesiae catholicae praedicationis veritate, sanctorumque servorum Dei proposito, continentia et paupertate profunda, ex monasterio quod per illum memorabilem virum et esse et crescere coeperat, magno desiderio poscere atque accipere episcopos et clericos pax Ecclesiae atque unitas et coepit primo, et postea consecuta est. Nam ferme decem quos ipse novi sanctos ac venerabilesviros continentes et doctissimos, beatus Augustinus diversis ecclesiis, nonnullis quoque eminentioribus, rogatus dedit[1]). Similiterque et ipsi ex illorum sanctorum

---

[1]) Inter hos eminent ipse Possidius, qui fuit Calamae episcopus, et Alypius episcopus tagastensis

proposito venientes, Domini ecclesiis propagatis, et monasteria instituerunt, et studio crescente aedificationis verbi Dei, ceteris ecclesiis promotos fratres ad suscipiendum sacerdotium praestiterunt. Unde per multos et in multis salubris fidei, spei et caritatis Ecclesiae innotescente doctrina, non solum per omnes Africae partes, verum etiam in transmarinis, et per libros editos atque in graecum sermonem translatos, ab illo uno homine et per illum multis, favente Deo, multa innotescere meruerunt. Atque hinc, ut scriptum est, peccator videns irascebatur, dentibus suis frendebat, et tabescebat (Psal. 111, 10): servi autem Christi, ut dictum est, cum iis qui oderant pacem, erant pacifici, et cum loquerentur, debellabantur gratis ab eis (Psal. 119, 7).

CAPUT XII.

Augustinus paratas sibi insidias errore ductoris devitat. Multa auraria haereticis indicta.

Aliquoties vero etiam vias armati iidem circumcelliones contra famulum Dei Augu-

---

„qui (ut habet *martyrologium* rom. ad d. 15. Aug.) b. Augustini olim discipulus, postea in conversione socius, in munere pastorali collega et in certaminibus adversus haereticos commilito strenuus, ac demum in coelesti gloria consors fuit."

stinum obsederunt, dum forte iret rogatus ad visitandas, instruendas et exhortandas catholicas plebes, quod ipse frequentissime faciebat. Et aliquando contigit ut illi succenturiati hactenus perderent captionem: evenit enim Dei quidem providentia, sed ducatoris hominis errore, ut per aliam viam cum suis comitibus sacerdos quo tendebat venisset, atque per hunc quem postea cognovit errorem, manus impias evasisset. Et cum in omnibus liberatori Deo gratias egisset, omnino suo more illi nec laicis nec clericis pepercerunt, sicut publica contestantur gesta. Inter ea silendum non est quod ad laudem Dei per illius tam egregii in Ecclesia viri studium domusque Dei zelum adversus praedictos rebaptizatores donatistas gestum et perfectum est. Cum forte unus[2]) ex iis, quos de

[1]) Hoc narrat ipse Augustinus (Enchir. c. 17) hisce verbis: „Nonnullis errare profuit aliquando, sed in via pedum, non in via morum: nam nobis ipsis accidit, ut in quodam bivio falleremur, et non iremus per eum locum, ubi operiens transitum nostrum donatistarum manus armata subsederat; atque ita factum est, ut eo quo tendebamus, per devium circuitum veniremus, cognitisque insidiis illorum, nos gratularemur errasse, atque inde gratias ageremus Deo.“

[2]) *Unus ex iis.* Hic est ipse Possidius, ut constat ex s. Augustino, qui idem factum narrat ep. 105. al. 166. n. 4. et c. Cresconium l. 3. c. 46.

suo monasterio et clero episcopos Ecclesiae propagaverat, ad suam curam pertinentem calamensis ecclesiae diocesim visitaret, et quae didicerat pro pace Ecclesiae contra illam haeresim praedicaret, factum est, ut medio itinere eorum insidias incurrisset, et pervasum cum omnibus illi comitantibus, sublatis animalibus et rebus, injuriis et caede gravissima eum affecissent. De qua re ne pacis Ecclesiae amplius impediretur profectus, defensor Ecclesiae inter leges non siluit. Et praeceptus est Crispinus, qui eisdem donatistis in calamensi civitate et regione episcopus fuit, praedicatus scilicet et multi temporis, et doctus ad mulctam teneri aurariam publicis legibus contra haereticos constitutam. Qui resultans legibus praesentatus cum apud proconsulem se negaret haereticum, oborta est necessitas, ut illi recedente Ecclesiae defensore, a catholico episcopo resisteretur et convinceretur eum esse, quod se fuisse negaverat: quoniam si ab eodem dissimularetur, forte catholicus episcopus ab ignorantibus crederetur, illo se quod erat negante, atque ita ex hac desidia infirmis scandalum nasceretur. Et memorabili Augustino antistite omnimodis instante, ad controversiam ambo illi calamenses episcopi venerunt, et de ipsa

diversa communione tertio conflictum secum egerunt, magna populorum christianorum multitudine causae exitum, et apud Carthaginem, et per totam Africam exspectante, atque ille Crispinus proconsulari et libellari sententia est pronunciatus haereticus. Pro quo ille apud cognitorem catholicus episcopus intercessit, ne auraria mulcta exigeretur, et ei est beneficium impetratum. Unde cum ingratus ad piissimum principem provocasset, ab imperatore relationi debitum est responsum solutum, et consecutum est praeceptum, nullo prorsus loco haereticos donatistas esse debere, et eos ad vim legum omnium contra haereticos latarum ubique teneri debere. Ex quo et judex et officium [1]), et idem Crispinus quod minime fuerit exactus, praecepti sunt denas auri libras fisci juribus inferre. Sed protinus opera data est per catholicos episcopos, praecipue per sanctae memoriae Augustinum, ut illa omnium condemnatio principis dimitteretur indulgentia. Et Domino adjuvante perfectum est. Qua diligentia et sancto studio multum crevit Ecclesia.

---

[1]) *Officium.* Hoc nomine designantur rei forensis administri.

CAPUT XIII.

Pax Ecclesiae per Augustinum.

Et de his omnibus pro pace Ecclesiae gestis, Augustino Dominus et hic palmam dedit, et apud se justitiae coronam reservavit: ac magis magisque, juvante Christo, de die in diem augebatur et multiplicabatur pacis unitas et Ecclesiae Dei fraternitas. Et id maxime factum est post collationem, quae ab universis episcopis catholicis apud Carthaginem cum eisdem donatistarum episcopis postmodum facta est, adjuvante gloriosissimo imperatore Honorio, propter quod perficiendum etiam a suo latere tribunum et notarium Marcellinum ad Africam judicem miserat. In qua controversia illi omnibus modis confutati, atque de errore a catholicis convicti, sententia cognitoris notati sunt, et post eorum appellationem piissimi regis responso juste inter haereticos condemnati sunt. Ex qua ratione solito amplius eorum episcopi cum suis clericis et plebibus communicaverunt, et pacem tenentes catholicam, multas eorum persecutiones usque ad membrorum amputationem et internecionem pertulerunt. Et totum illud bonum, ut dixi, per sanctum

illum hominem consentientibus nostris episcopis et pariter satagentibus, et coeptum et perfectum est[1]).

CAPUT XIV.

Emeritus episcopus donatista superatus.

Porro autem quoniam post illam, quae cum donatistis facta est collatio, non defuerunt qui dicerent permissos non fuisse eosdem episcopos apud potestatem, quae causam audivit, dicere omnia pro suis partibus, quoniam catholicae communionis cognitor suae favebat Ecclesiae: licet hoc deficientes et victi ad excusationem jactarent, quandoquidem et ante controversiam iidem

---

[1]) Habita fuit haec collatio Ecclesiae catholicae adeo fructuosa et exitiosa donatistarum schismati mense Junio a. 411. Ejus gestorum pars magna adhuc exstat, eaque in utilitatem tam catholicorum quam donatistarum Augustinus in compendium redegit sub nomine *Breviculi collationis cum donatistis*. Eminuisse prae ceteris in hac collatione s. Augustinum dicere non est opus, sed praeter ipsum strenue pugnarunt Aurelius carthaginensis, Alipius tagastensis et Possidius noster. Hanc vero tandem Marcellinus cognitor tulit sententiam „confutatos esse a catholicis donatistas omnium documentorum manifestatione“, teste Augustino in breviculo c. 25, quod etiam hic significat Possidius.

haeretici catholicae communionis eundem esse noverant, et cum ab eodem convenirentur publicis gestis, quod ad collationem occurrerent, se esse facturos prosecuti sunt. Poterant utique suspectum eum habentes, recusare congressum. Tamen omnipotentis Dei praestitit auxilium, ut postea in caesariensi Mauritaniae civitate constitutus venerabilis memoriae Augustinus, quo eum venire cum aliis ejus coepiscopis sedis apostolicae literae[1]) compulerant, ob terminandas videlicet alias Ecclesiae necessitates: hac ergo occasione provenit, ut Emeritum ejusdem loci donatistarum episcopum, quem suae sectae praecipuum in illa collatione habuerunt defensorem, videret et cum eodem publice in ecclesia populo astante diversae communionis ex hoc ipso disputaret, et provocaret gestis ecclesiasticis: ut quod forte, sicut dicebant, prosequi potuit in collatione, sed permissus non fuerat, in praesenti sine alicujus potestatis prohibitione, aut potentia securus dicere minime dubitaret: et in sua civitate suis omnibus praesentibus civibus fiducialiter

---

[1]) *Sedis apostolicae* i. e. Zosimi tunc romani pontificis. Causam hujus legationis (a. 418.) ignoramus. Cf. s. Aug. ep. 190. n. 1. et 193. n. 1.

propriam defendere communionem non denegaret. Ille nec hac hortatione, nec suorum parentum et civium instanti petitione id facere voluit, qui ei pollicebantur se ad ejus redituros communionem, etiam cum discrimine patrimoniorum salutisque suae temporalis, si modo catholicam superaret assertionem. At ille amplius dicere illis gestis nihil voluit, nec valuit, nisi tantum: „Iam illa, inquit, gesta continent apud Carthaginem inter episcopos confecta, utrum vicerimus, an convicti fuerimus". Et alio loco dum a notario, ut responderet, admoneretur et reticeret, ejus cunctis manifestata diffidentia, Ecclesiae Dei augmenta ac firmamenta provenerunt. Quisquis ergo diligentiam et operam beatissimae memoriae Augustini pro Ecclesiae Dei statu cognoscere plenius voluerit, etiam illa percurrat gesta: et inveniet quae vel qualia protulerit, quibus illum doctum, eloquentem, et praedicatum hominem provocarit hortatusque fuerit, ut pro suae defensione partis quod vellet ediceret, illumque victum cognoscet[1]).

[1]) Haec gesta adhuc habemus, sicut etiam sermonem ad caesariensis Ecclesiae plebem eadem occasione habitum, in quo inter alia egregia pulcherrima illa verba occurrunt (n. 6): „Extra Ecclesiam catholi-

CAPUT XV.

Digressione concionantis conversus negotiator nomine Firmus.

Scio item non solus ipse, verum etiam alii fratres et conservi, qui nobiscum tunc intra hipponensem ecclesiam cum eodem sancto viro vivebant, nobis pariter ad mensam constitutis eum dixisse: „Advertistis hodie in Ecclesia meum sermonem, ejusque initium et finem contra meam consuetudinem processisse, quoniam non eam rem terminatam explicuerim quam proposueram, sed pendentem reliquerim“. Cui respondimus: „Ita nos in tempore miratos fuisse scimus et recognoscimus“. At ille: „Credo, ait, quod forte aliquem errantem in populo Dominus per nostram oblivionem et errorem doceri et curari voluerit: in cujus manu sunt et nos et sermones nostri. Nam cum propositae

---

cam totum potest (habere Emeritus) praeter salutem. Potest habere honorem, potest habere sacramentum, potest cantare alleluja, potest respondere amen, potest Evangelium tenere, potest in nomine Patris et Filii et Spiritus s. fidem et habere et praedicare; sed nusquam nisi in Ecclesia catholica salutem poterit invenire“.

quaestionis latebras pertractarem, in aliud sermonis excursu perrexi, atque ita non conclusa vel explicata quaestione, disputationem terminavi magis adversum manichaeorum errorem, unde nihil dicere decreveram disputans, quam de iis quae asserere proposueram". Et post haec, nisi fallor, ecce alia die vel post biduum venit quidam Firmus nomine, negotiator, et intra monasterium sedente sancto Augustino nobis coram, ad pedes ejus genibus provolutus sese jactavit lacrymas fundens, et rogans ut pro suis delictis sacerdos cum sanctis Dominum deprecaretur, confitens quod manichaeorum sectam secutus fuisset, et in ea quamplurimis annis vixisset, et propterea pecuniam multam ipsis manichaeis vel eis, quos dicunt electos, incassum erogasset: ac se in Ecclesia Dei misericordia fuisse ejus tractatibus nuper correctum atque catholicum factum. Quod et ipse venerabilis Augustinus, et nos qui tunc aderamus, ab eodem diligenter inquirentes ex qua re potissimum in illo tractatu sibi fuerit satisfactum, et referente eo nobisque omnibus sermonis seriem recognoscentibus, profundum consilium Dei pro salute animarum admirantes et stupentes, glorificavimus sanctum ejus nomen et bene-

diximus: qui cum voluerit, et unde voluerit, et quomodo voluerit, et per scientes et per nescientes salutem operatur animarum. Et ex eo ille homo proposito servorum Dei adhaerens, negotiatoris dimisit actionem, et proficiens in Ecclesiae membris, in alia regione ad presbyterii quoque Dei voluntate petitus et coactus accessit officium, tenens atque custodiens propositi sanctitatem: et forte adhuc usque in rebus humanis vivit trans mare constitutus.

CAPUT XVI.

Manichaeorum exsecrandae turpitudines detectae. Felix manichaeus conversus.

Apud Carthaginem quoque, dum per quendam domus regiae procuratorem nomine Ursum, fidei catholicae hominem, ad quosdam manichaeorum, quos electos vel electas dicunt, praesentes perveniretur, atque ad ecclesiam ab eodem deducerentur et perducerentur ab episcopis, ad tabulas[1]) auditi sunt. Inter quos etiam sanctae memoriae Augustinus fuit, qui prae ceteris illam ex-

---

[1]) *Ad tabulas* i. e. notariis excipientibus et in tabulas inferentibus interrogata et responsa (Salinas).

secrabilem sectam noverat, et eorum prodens ejusmodi damnabiles blasphemias ex locis librorum, quos illi accipiunt Manichaei, usque ad confessionem earundem blasphemiarum eos perduxit: et quae inter se illi suo more malo indigna et turpia facere consueverunt, feminarum illarum velut electarum proditione, illis ecclesiasticis gestis declaratum est. Atque ita pastorum diligentia dominico gregi et augmentum accessit, et adversus fures atque latrones defensio competens procurata est. Cum quodam etiam Felice de numero eorum quos electos dicunt manichaei[1]), publice in hipponensi ecclesia notariis excipientibus disputavit populo

[1]) Hic editi addunt, *quippe Hipponem venerat eundem seminaturus errorem.* Verba sunt Augustini in l. 2. retract. c. 8. Incidit haec disputatio in a. 404. Ejus acta adhuc exstant, quibus Felix hisce verbis subscripsit: „Ego Felix, qui Manichaeo credideram, nunc anathemo eum et doctrinam ipsius, et spiritum seductorem qui in illo fuit, qui dixit Deum partem suam genti tenebrarum miscuisse et eam tam turpiter liberare, ut virtutes suas transfiguraret in feminas contra masculina, et ipsas iterum in masculos contra feminina daemonia, ita ut postea reliquias ipsius suae partis configat in aeternum globo tenebrarum. Has omnes et ceteras blasphemias Manichaei anathemo.“

astante: et post secundam vel tertiam collationem ille manichaeus frustrata vanitate et errore ipsius sectae, ad nostram conversus est fidem atque Ecclesiam, sicut eadem relecta docere poterit scriptura.

CAPUT XVII.

Pascentius comes arianus in collatione revincitur. Collatio cum Maximino episcopo ariano.

Praeterea cum quodam etiam Pascentio comite domus regiae ariano, qui per auctoritatem suae personae fisci vehementissimus exactor, fidem catholicam atrociter ac jugiter oppugnabat, et quamplurimos sacerdotes Dei simpliciori fide viventes, dicacitate ac potestate exagitabat et perturbabat, interpositis honoratis et nobilibus viris, apud Carthaginem ab illo provocatus, coram contulit. Sed idem haereticus tabulas atque stilum, quod magister noster et ante congressum, et in congressu instantissime fieri volebat, ne adessent omni modo recusabat. Et dum id pernegasset, dicens quod metu legum publicarum periclitari tabulis scriptis nollet, atque interpositis id placere Augustinus episcopus cum suis qui aderant consacerdotibus

videret, ut absque ulla scriptura privatim disputarent, collationem suscepit: praedicens, ut postmodum contigit, quod post solutum conventum esse cuiquam posset liberum forte dicere, nullo scripturae documento, se dixisse quod forte non dixerit, vel non dixisse quod dixerit. Et miscuit cum eodem sermonem, atque asseruit quid crederet, et ab illo quid teneret, audivit, et vera ratione atque auctoritate Scripturarum probata docuit, et ostendit nostrae fidei firmamenta: illius autem asserta nulla veritate, nulla Scripturarum sanctarum auctoritate suffulta docuit et frustravit. Et ut a se invicem partes digressae sunt, ille magis magisque iratus et furens, mendacia multa pro fide sua falsa jactabat, victum esse a seipso proclamans, multorum ore laudatum Augustinum. Quae cum minime laterent, coactus est ad ipsum scribere Pascentium, propter illius metum omissis nominibus conferentium, et in eis literis quidquid inter partes dictum vel gestum fuerat fideliter intimavit, ad ea si negarentur probanda magnam testium habens copiam, clarissimos scilicet atque honorabiles, qui tunc aderant, viros. Atque ille ad duo sibi directa scripta, unum vix reddidit rescriptum, in quo magis inju-

riam facere, quam suae sectae rationem valuit declarare. Quod a volentibus et a valentibus legere comprobatur[1]). Cum ipsorum quoque arianorum episcopo quodam Maximino cum gothis ad Africam veniente, apud Hipponem quam plurimis volentibus atque petentibus et praeclaris interpositis viris contulit, et quid singulae asseruerint partes, scriptum est. Quae si studiosi diligenter legere curaverint, procul dubio indagabunt, et quid callida et irrationabilis haeresis ad seducendum et decipiendum profiteatur vel quid Ecclesia catholica de divina teneat et praedicet Trinitate. Sed quoniam ille haereticus de Hippone rediens ad Carthaginem, de sua multa in collatione loquacitate victorem se de ipsa collatione recessise jactavit, et mentitus est: quae utique non facile a divinae legis ignaris examinari et dijudicari possent: a venerabili viro Augustino sequentis temporis stilo, et illius totius collationis de singulis objectis, et responsis facta est recapitulatio: et quam nihil ille objectis referre potuerit, nihilominus demonstratum est, additis sup-

[1]) Cf. de hac collatione s. Augustini epistolae 238, 239. et 241. al. 174, 175. et 177. Quo anno habita fuerit est incertum.

plementis, quae in tempore collationis angusto cuncta inferri et scribi minime potuerunt. Id enim egerat nequitia hominis, ut sua novissima prosecutione multo longissima, totum quod remanserat diei spatium occuparet[1]).

CAPUT XVIII.

Pelagianistae novi haeretici expugnati et condemnati: Ecclesiae catholicae quantum profuerint labores Augustini. Haeretici et pagani deficiunt. Augustini operum quam ingens copia.

Adversus pelagianistas quoque novos nostrorum temporum haereticos et disputatores callidos, arte magis subtili et noxia scribentes, et ubicunque poterant publice, et per domos loquentes, per annos ferme decem laboravit, librorum multa condens et edens, et in Ecclesia populis ex eodem errore frequentissime disputans. Et quoniam iidem perversi sedi apostolicae per suam ambitionem eandem perfidiam persuadere conaban-

---

[1]) Habita fuit haec collatio a. 427. aut 428, cujus actis adjecit Augustinus duos libros contra Maximinum haereticum, in quibus ostendit ea, quae in collatione ipse dixit, Maximinum refellere non potuisse.

tur, instantissime etiam conciliis africanis sanctorum episcoporum gestum est, ut sancto papae urbis, ut prius venerabili Innocentio, et postea sancto Zosimo ejus successori persuaderetur, quam illa secta a fide catholica et abominanda et damnanda fuisset. At illi tantae sedis antistites, suis diversis temporibus eosdem notantes, atque a membris Ecclesiae praecidentes, datis literis ad africanas Occidentis et Orientis partis ecclesias, eos anathemandos et devitandos ab omnibus catholicis censuerunt[1]). Et hoc

---

[1]) Annos a pelagiani erroris exortu ad illius per Zosimum condemnationem (418.) computat. Nam alioqui contra eum errorem disputavit scripsitque s. Doctor ab a. Christi circiter 411. aut 412; quo a. 412. libros de peccatorum meritis et remissione confecit, cum eundem errorem sermonibus prius aggressus esset, usque ad a. 430, quo morte occupatus est, scribens ultimum opus in Julianum. Hinc Prosper in l. quem a. 433. contra collatorem (i. e. Cassianum) edidit, c. 1. n. 2: „Viginti amplius anni sunt, inquit, quod contra inimicos gratiae Dei, catholica acies hujus viri ducta pugnat et vincit“. (Salinas). Respicit autem hic Possidius ep. concilii carthag. a. 416; concilii milevit. eodem anno habiti ad Innocentium I. et hujus ad utrumque concilium rescripta (inter ep. Augustini 175, 176, 181, 182. al. 90 ss.); epistolas conc. carthag. a. 417. et plenarii 214 episcoporum a. 418. ad Zosimum et hujus rescripta; celeberrimam

tale de illis Ecclesiae Dei catholicae prolatum judicium, etiam piissimus Imperator Honorius audiens ac sequens, suis eos legibus damnatos, inter haereticos haberi debere constituit. Unde nonnulli ex eis ad sanctae matris Ecclesiae gremium, unde resilierant, redierunt et adhuc alii redeunt, innotescente et praevalescente adversus illum detestabilem errorem rectae fidei veritate. Et erat ille memorabilis vir praecipuum dominici corporis membrum, circa universalis Ecclesiae utilitatem sollicitus semper ac pervigil. Et illi divinitus donatum est, ut de suorum laborum fructu, etiam in hac vita gaudere provenisset, prius quidem in hippo-

---

inprimis *Tractoriam* per totum orbem missam, quae ab omnibus episcopis subscribenda fuit, unde eleganter Prosper in l. c. collatorem c. 21. ait: „Africanorum conciliorum decretis beatae recordationis papa Zosimus sententia sua robur annexuit, et ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit antistum.“ Sicut autem Possidius ita et alii scriptores coaevi testantur, in hac adversus pelagianos pugna atque victoria eminuisse Augustinum. Hinc gratulabundus ad eum scribit Hieronymus (ep. 195. al. 25. inter ep. Aug.): „Macte virtute, in orbe celebraris. Catholici te conditorem antiquae rursum fidei venerantur atque suspiciunt et quod signum majoris gloriae est, omnes haeretici detestantur.“

nensi ecclesia et regione, cui maxime praesidebat, unitate ac pace perfecta, deinde in aliis Africae partibus, sive per seipsum, sive per alios, et quos ipse dederat sacerdotes, pullulasse et multiplicatam fuisse Domini Ecclesiam pervidens, illosque manichaeos, donatistas, pelagianistas et paganos ex magna parte defecisse, et Ecclesiae Dei sociatos esse congaudens. Profectibus quoque et studiis favens erat, et exsultans bonorum omnium, indisciplinationes pie ac sancte tolerans fratrum, ingemiscensque de iniquitatibus malorum, sive eorum qui intra Ecclesiam, sive eorum qui extra Ecclesiam sunt constituti, dominicis, ut dixi, lucris semper gaudens, et damnis maerens[1]). Tanta autem

---

[1]) Qua ratione initio se gesserit s. episcopus erga pelagianos, ut illos errantes Christo lucrifaceret, ipse nobis enarrat s. 294. al. 14. de verbis Ap. (habito Carthagine a. 413.) n. 20. Digna sunt quae referantur ejus verba, candidissimi enim sui pectoris prudentissimique zeli luculentum praebent argumentum. „Impetremus ergo, inquit, si possumus, a fratribus nostris ne nos insuper appellent haereticos, quod eos talia disputantes nos appellare possimus forsitan, si velimus, nec tamen appellamus. Sustineat eos mater piis visceribus sanandos, portet docendos, ne plangat mortuôs. Nimium est quo progrediuntur; multum est, vix ferendum est, magnae patientiae

ab eodem dictata et edita sunt, tantaque in Ecclesia disputata. excepta atque emendata, vel adversus haereticos conscripta, vel ex canonicis libris exposita ad aedificationem sanctorum Ecclesiae filiorum, ut ea omnia vix quisqam studiosorum perlegere et nosse sufficiat. Verumtamen ne veritatis verbi avidissimos in aliquo fraudare videamur, statui Deo praestante in hujus opusculi fine etiam eorundem librorum, tratatuum et epistolarum indiculum adjungere: quo lecto qui magis Dei veritatem quam temporales amant divitias, sibi quisque quod voluerit ad legen-

---

adhuc ferri. Non abutantur hac patientia Ecclesiae, corrigantur, bonum est. Ut amici exhortamur, non ut inimici litigamus. Detrahunt nobis, ferimus: canoni non detrahant, veritati non detrahant, Ecclesiae sanctae pro remissione peccati originalis parvulorum quotidie laboranti non contradicant. Fundata ista res est. Ferendus est disputator errans in aliis quaestionibus non diligenter digestis, nondum plena Ecclesiae auctoritate firmatis; ibi ferendus est error: non tantum progredi debet, ut etiam fundamentum ipsum Ecclesiae quatere moliatur. Non expedit, adhuc forte nostra non est reprehendenda patientia: sed debemus timere ne culpetur etiam negligentia. Sufficiat caritati vestrae, habete ad illos, qui nosti illos, habete cum illis amice, fraterne, placide, amanter, dolenter: quidquid potest faciat pietas, quia postea diligenda non erit impietas.«

dum et cognoscendum eligat, et id ad describendum, vel de bibliotheca hipponensis ecclesiae petat, ubi emendatiora exemplaria forte poterunt inveniri, vel unde valuerit inquirat, et inventa describat et habeat, et petenti ad describendum sine invidia etiam ipse tribuat.

CAPUT XIX.

In causis audiendis quomodo se gesserit Augustinus. Partes, facta opportunitate, docet quae ad aeternam vitam spectant. Merces operae judiciariae.

Secundum Apostoli quoque sententiam, dicentis, *Audet quisquam vestrum adversus alterum negotium habens judicari ab iniquis, et non apud sanctos? An nescitis quia sancti mundum judicabunt? Et si in vobis judicatur mundus, indigni estis judiciorum minimorum. Nescitis quia angelos judicabimus, nedum secularia? Secularia igitur judicia si habueritis inter vos, eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos collocate ad judicandum. Ad reverentiam vobis loquor. Sic non est inter vos quisquam sapiens qui possit inter fratrem suum dijudicare, sed frater cum fratre dijudica-*

tur, et hoc apud infideles (1. Cor. 6, 1 ss.). Interpellatus ergo a christianis, vel a cujusque sectae hominibus causas audiebat diligenter ac pie: cujusdam sententiam ante oculos habens, dicentis se malle inter incognitos, quam inter amicos causas audire: eo quod de incognitis, pro quo arbitra aequitate judicaretur, amicum posset acquirere: de amicis vero unum esset, contra quem sententia proferretur, perditurus. Et eas aliquando usque ad horam refectionis, aliquando autem tota die jejunans, semper tamen noscebat et dirimebat, intendens in eis christianorum momenta animorum, quantum quisque vel in fide bonisque moribus proficeret, vel ab iis deficeret. Atque compertis rerum opportunitatibus, divinae legis veritatem partes docebat, eamque illis inculcabat, et eas quo adipiscerentur vitam aeternam edocebat et admonebat: nihil aliud quaerens ab iis quibus ad hoc vacabat, nisi tantum obedientiam et devotionem christianam, quae et Deo debetur et hominibus, peccantes coram omnibus arguens, ut ceteri timorem haberent (1. Tim. 5, 20): et faciebat hoc tamquam speculator a Domino constitutus domui Israel, praedicans verbum atque instans opportune, importune, arguens, hortans, increpans, in omni longanimitate et

doctrina, praecipueque operam dans instruere eos, qui essent idonei et alios docere. Rogatus quoque a nonnullis in eorum temporalibus causis, epistolas ad diversos dabat. Sed hanc suam a melioribus rebus occupationem tamquam angariam deputabat[1]), sua-

---

[1]) Saepe de hisce suis occupationibus s. episcopus queritur. Ita ex gr. de intercessione apud seculares potestates disserit serm. 302. al. 111. de div. n. 17: „Saepe de nobis dicitur: Ivit ad illam potestatem, et quid quaerit episcopus cum illa potestate? Et tamen omnes nosti, quia vestrae necessitates nos cogunt venire, quo nolumus; observare, ante ostium stare, intrantibus dignis et indignis exspectare, nunciari, vix aliquando admitti, ferre humilitates, rogare, aliquando impetrare, aliquando tristes abscedere. Quis vellet haec pati nisi cogeremur? Nolumus habere rationem cum potestatibus. Novit ille, quia cogimur". In l. vero de opere monachorum, quem scripsit contra eos monachos, qui „ita ex oblationibus religiosorum vivere volebant, ut nihil operantes unde necessaria vel haberent vel supplerent, se potius implere praeceptum evangelicum existimarent atque jactarent, ubi Dominus ait (Matth. 6, 20): *Respicite volatilia coeli et lilia agri* (retract. l. 2. c. 21)," his quasi satisfaciens, quod ipse manibus non operaretur, ita modeste n. 37. queritur: „Non alligamus onera gravia, et vestris humeris imponimus quae nos digito attingere nolumus (Matth. 23, 4). Quaerite et agnoscite labores occupationum nostrarum, et in aliquibus nostrorum etiam corporum infirmitates et ecclesiarum, quibus servimus talem jam consuetudinem, ut nos

vem semper habens de iis quae Dei sunt, vel allocutionem vel collocutionem fraternae ac domesticae familiaritatis.

CAPUT XX.

Pro reis quomodo intercesserit.

Novimus quoque eum a suis carissimis literarum intercessum apud seculi potestates postulatum non dedisse, dicentem cujusdam sapientis servandam esse sententiam, de quo scriptum esset, quod multa suae famae contemplatione amicis non praestitisset. Et illud nihilominus suum addens, quoniam ple-

ad illa opera, ad quae vos hortamur, vacare non sinant .... Tamen Dominum Jesum, in cujus nomine securus haec dico, testem invoco super animam meam, quoniam quantum attinet ad meum commodum, multo mallem per singulos dies certis horis, quantum in bene moderatis monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari, et ceteras habere ad legendum et orandum aut aliquid de divinis literis agendum liberas, quam tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis secularibus vel judicando dirimendis vel interveniendo praecidendis: quibus nos molestiis idem affixit Apostolus, non utique suo, sed ejus qui per eum loquebatur arbitrio. Omitto alias innumerabiles ecclesiasticas curas, quas fortasse nemo credit, nisi qui expertus est etc.“

rumque potestas quae praestat, premit. Cum vero intercedendum esse rogatus videbat, tam id honeste ac temperate agebat, ut non solum onerosus aut molestus non videretur, verum etiam mirabilis exsisteret, nam dum exorta necessitate suo more apud quendam Africae vicarium, Macedonium nomine, pro supplici literis interveniret, atque ille paruisset, hoc modo rescriptum misit: „Miro modo afficior sapientia tua, et in illis quae edidisti, et in iis quae interveniens pro sollicitis mittere non gravaris. Nam et illa tantum habent acuminis, scientiae, sanctitatis, ut nihil supra sit: et haec tantum verecundiae, ut nisi faciam quod mandas, culpam penes me remanere non in negotio esse dijudicem, domine merito venerabilis et suscipiende pater. Non enim instas, quod plerique homines istius loci faciunt, ut quodcunque sollicitus petitor voluerit, extorqueas: sed quod tibi a judice tot curis obstricto petibile visum fuerit, admones subserviente verecundia, quae maxima difficilium inter bonos efficacia est. Proinde statim commendatis effectum desiderii tribui. Nam sperandi viam ante patefeceram (Inter ep. August. 154. n. 1)."

CAPUT XXI.

Conciliis quo animo interesse soleret. In ordinandis sacerdotibus major consensus et Ecclesiae consuetudo inquirenda.

Sanctorum concilia sacerdotum per diversas provincias celebrata cum potuit frequentavit, non in eis quae sua sunt, sed quae Jesu Christi quaerens; ut vel fides sanctae Ecclesiae catholicae inviolata maneret, vel nonnulli sacerdotes et clerici, sive per fas sive per nefas excommunicati, vel absolverentur vel abjicerentur. In ordinandis vero sacerdotibus et clericis consensum majorem christianorum, et consuetudinem Ecclesiae sequendam arbitrabatur.

CAPUT XXII.

In vestitu et victu qualis fuerit Augustinus.

Vestes ejus et calceamenta lectualia ex moderato et competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum: quia his plerumque vel jactare se insolenter homines solent, vel abjicere: ex utroque, non quae Jesu Christi, sed quae sua sunt iidem quaerentes. At iste, ut dixi, medium tenebat, neque in dexteram, neque in sinistram

declinans[1]). Mensa usus est frugali et parca, quae quidem inter olera et legumina, etiam carnes aliquando propter hospites, vel quosque infirmiores, semper autem vinum habebat, quia noverat et docebat, ut Apo-

---

[1]) Hac de re audiendus est ipse Augustinus s. 356. al. 50. de div. n. 13. „Nemo, inquit, det byrrhum (seu birrum a graeco πυῤῥὸς rufus, quod sit genus vestis rufi coloris lacernae simile vel idem omnino ac lacerna, quod aliis vestibus superinjicitur et pro toga gestatur), vel lineam tunicam seu aliquid nisi in commune (vitam enim communem agebat s. episcopus cum suis clericis): de communi accipio et mihi ipsi, cum sciam commune me habere velle, quidquid habeo. Nolo talia offerat sanctitas vestra, quibus ego solus quasi decentius utar; offerat mihi v. gr. byrrhum pretiosum; forte decet episcopum, quamvis non deceat Augustinum i. e. hominem pauperem, de pauperibus natum. Modo dicturi sunt homines, quia inveni pretiosas vestes, quas non potuissem habere vel in domo patris mei vel in illa seculari professione mea. Non decet; talem debeo habere, qualem possum, si non habuerit, fratri meo dare. Qualem potest habere presbyter, qualem potest habere decenter diaconus et subdiaconus, talem volo accipere, quia in commune accipio. Si quis meliorem dederit, vendo: quod et facere soleo, ut quando non potest esse vestis communis, pretium vestis possit esse commune. Vendo et erogo pauperibus. Si hoc eum delectat, ut ego habeam, talem det unde non erubescam. Fateor enim vobis, de pretiosa veste erubesco, quia non decet hanc professionem ... quia non decet hos canos.“

stolus dicit, quod omnis creatura Dei bona sit, et *nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei et orationem* (1. Tim. 4, 45) Et, ut idem Augustinus in suis Confessionum libris posuit, (Lib. 10, c. 31. n. 46.). dicens: „Non ego immunditiam obsonii timeo, sed immunditiam cupiditatis. Scio Noe omne genus carnis quod cibo esset usui, manducare permissum: Heliam cibo carnis refectum, Joannem mirabili abstinentia praeditum, animalibus, hoc est locustis in escam cedentibus, non fuisse pollutum. Scio et Esau lenticulae concupiscentia deceptum, et David propter aquae desiderium a seipso reprehensum, et regem nostrum, non de carne, sed de pane esse tentatum. Ideoque et populus in eremo, non quia carnes desideravit, sed quia escae desiderio contra Deum murmuravit, meruit improbari.“ De vino autem sumendo Apostoli exstat sententia ad Timotheum scribentis, ac dicentis: *Noli usque adhuc aquam bibere, sed vino modico utere propter stomachum et frequentes tuas infirmitates* (1. Tim. 5, 23). Cochlearibus tantum argenteis utens, cetera vasa quibus mensae inferebantur cibi, vel testea vel lignea vel marmorea fuerunt: non tamen necessitatis

inopia, sed proposito voluntatis. Sed et hospitalitatem semper exhibuit. Et in ipsa mensa magis lectionem vel disputationem, quam epulationem potationemque diligebat, et contra pestilentiam humanae consuetudinis in ea ita scriptum habebat:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam indignam noverit esse sibi.

Et ideo omnem convivam a superfluis et noxiis fabulis et detractionibus sese abstinere debere admonebat. Nam et quosdam suos familiarissimos coepiscopos illius scripturae oblitos, et contra eam loquentes, tam aspere aliquando reprehendit commotus, ut diceret aut delendos esse illos de mensa versus, aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum. Quod ego et alii qui illi mensae interfuimus, experti sumus.

CAPUT XXIII.

In usu redituum ecclesiasticorum qualis.

Conpauperum vero semper memor erat, eisque inde erogabat unde et sibi suisque omnibus secum habitantibus, hoc est, vel ex reditibus possessionum Ecclesiae, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et dum forte (ut adsolet) de possessionibus ipsis in-

vidia clericis fieret, alloquebatur plebem Dei, malle se ex collationibus plebis Dei vivere, quam illarum possessionum curam vel gubernationem pati, et paratum se esse illis cedere, ut eo modo omnes Dei servi et ministri viverent, quo in vetere Testamento leguntur altari deservientes de eodem comparticipari. Sed nunquam id laici suscipere voluerunt.

CAPUT XXIV.

In re domestica qualis. Donata et legata Ecclesiae quaenam susceperit aut recusaverit. A rerum temporalium curis liberum semper animum habere voluit.

Domus Ecclesiae curam omnemque substantiam ad vices valentioribus clericis delegabat et credebat. Nunquam clavem, nunquam annulum in manu habens, sed ab eisdem domus praepositis cuncta et accepta et erogata notabantur. Quae anno completo eidem recitabantur, quo sciretur quantum acceptum, quantumque dispensatum fuisset, vel quid dispensandum remansisset, et in multis titulis magis illius praepositi domus fidem sequens, quam probatum manifestatumque cognoscens. Domum, agrum seu villam nunquam emere voluit. Verum si forte Ecclesiae a quoquam sponte tale ali-

quid vel donaretur, vel titulo legati dimitteretur, non respuebat, sed suscipi jubebat. Nam et aliquas eum hereditates recusasse novimus, non quia pauperibus inutiles esse possent, sed quoniam justum et aequum esse videbat, ut a mortuorum vel filiis vel parentibus vel affinibus magis possiderentur, quibus ea deficientes dimittere noluerunt[1]). Quidam etiam ex honoratis hipponensium apud Carthaginem vivens ecclesiae hipponensi possessionem donare voluit, et confectas tabulas sibi usufructu retento, ultro eidem sanctae memoriae Augustino misit: cujus ille oblationem libenter accepit, congratulans ei quod aeternae suae memor esset salutis. Verum post aliquot annos nobis forte cum eodem cominus constitutis, ecce ille donator literas per suum filium mittens, rogavit ut illae donationum tabulae suo redderentur filio, pauperibus vero erogandos direxit solidos centum: quo ille sanctus cognito, ingemuit hominem vel finxisse donationem, vel eum de bono opere poenituisse, et quanta potuit

[1]) Hinc in concione ad populum professus est (S. 355. al. 49. de div. n. 5.): „Quicunque vult exhereditato filio heredem facere Ecclesiam, quaerat alterum, qui suscipiat, non Augustinum; imo Deo propitio neminem inveniat.“

Deo suggerente cordi ejus cum dolore animi de eadem defraudatione dixit, in illius scilicet increpationem et correctionem. Et tabulas quas ille sponte miserat, nec desideratas, nec exactas confestim reddidit, pecuniamque illam respuit, atque rescriptis eundem sicut oportuit et arguit et corripuit, admonens ut de sua simulatione vel iniquitate cum poenitentiae humilitate Deo satisfaceret, ne cum tam gravi delicto de seculo exiret. Frequentius quoque dicebat, magis securius et tutius Ecclesiam legata a defunctis dimissa debere suscipere, quam hereditates forte sollicitas et damnosas, ipsaque legata magis offerenda esse quam exigenda. Commendata vero quaeque ipse non suscipiebat, sed volentes suscipere clericos non prohibebat. In iis quoque quae Ecclesia habebat et possidebat intentus amore, vel implicatus non erat, sed majoribus magis et spiritalibus suspensus et inhaerens rebus, vix aliquando seipsum ad ista temporalia ab aeternorum cogitatione relaxabat et deponebat. Quibus ille dispositis et ordinatis, tamquam a rebus mordacibus ac molestis, animi recursum ad interiora mentis et superiora faciebat, quo vel de inveniendis divinis rebus cogitaret, vel de jam inventis aliquid dictaret, aut certe ex

jam dictatis atque transcriptis aliquid emendaret. Et id agebat in die laborans, et in nocte lucubrans. Et erat tamquam illa religiosissima Maria, typum gestans supernae Ecclesiae, de qua scriptum est, quod sederet ad pedes Domini, atque intenta ejus verbum audiret: de qua soror conquesta, quod ab eadem circa multum ministerium occupata non adjuvaretur, audivit: *Martha Martha, meliorem partem elegit Maria, quae non auferetur ab ea* (Luc. 10, 39). Nam fabricarum novarum nunquam studium habuit, devitans in eis implicationem sui animi, quem semper liberum habere volebat ab omni molestia temporali. Non tamen illa volentes et aedificantes prohibebat, nisi tantum immoderatos. Interea dum Ecclesiae pecunia deficeret, hoc ipsum populo christiano denunciabat, non se habere quod indigentibus erogaret. Nam et de vasis dominicis propter captivos et quam plurimos indigentes, frangi et conflari jubebat, et indigentibus dispensari. Quod non commemorassem, nisi contra carnalem sensum quorundam fieri perviderem. Et hoc ipsum[1]) etiam venerabilis memoriae

[1]) Legantur quae hac de re scribit *Ambrosius* de officiis cleric. l. 2. c. 28.

Ambrosius in talibus necessitatibus indubitanter esse faciendum, et dixit et scripsit: sed et de neglecto a fidelibus gazophylacio et secretario, unde altari necessaria inferuntur, aliquando in ecclesia loquens admonebat, quod etiam beatissimum Ambrosium se praesente in ecclesia tractavisse, nobis aliquando retulerat.

CAPUT XXV.

Disciplina domestica. Poena jurantis.

Cum ipso semper clerici, una etiam domo ac mensa sumptibusque communibus alebantur et vestiebantur[1]). Et ne quisquam facili

[1]) Vivendi rationem, quam cum clericis Augustinus profitebatur ipse s. 355. al. 49. de div. describit, ubi inter alia et haec habet n. 2: „Nostis omnes aut pene omnes, sic nos vivere in ea domo, quae dicitur domus episcopi, ut quantum possumus, imitemur eos sanctos, de quibus loquitur liber actuum apostolorum: *Nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia* (4, 32) .... Ecce quomodo vivimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium. Sed forte aliqui habent. Nulli licet; si qui habent, faciunt quod non licet. Bene autem sentio de fratribus meis, et semper bene credens ab hac inquisitione dissimulavi; quia et ista quaerere, quasi male sentire videbatur: noveram enim et novi omnes, qui mecum viverent, nosse propositum

juratione etiam ad perjurium decidisset, et in ecclesia populo praedicabat, et suos instituerat, ne quis juraret, nec ad mensam quidem. Quod si prolapsus fuisset, unam de statutis perdebat potionem: numerus enim erat suis secum conmorantibus et convivantibus poculorum praefixus. Indisciplinationes quoque et transgressiones suorum a regula recta et honestate arguebat, et tolerabat quantum decebat et oportebat: in talibus praecipue docens, ne cujusquam cor declinaretur in verba maligna ad excusandas excusationes in peccatis (Psal. 140, 4). Et dum quisque offerret munus suum ad altare, et illic recordatus fuisset quod frater suus haberet aliquid adversus illum, relinquendum esse munus ante altare, atque eundum quo frater reconcilietur, et tunc veniendum, et munus ad altare offerendum (Matth. 5, 23 s.).

nostrum, nosse legem vitae nostrae etc.« Quanto autem rigore hanc vitam communem servaret, docet ipse nos s. 356. n. 14: „Quisquis cum hypocrisi vixerit, quisquis inventus fuerit proprium habens, non illi permitto, ut inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula clericorum. Interpellet contra me mille concilia, naviget contra me quo voluerit, sit certe ubi potuerit: adjuvabit me Deus, ut ubi ego episcopus sum, ille clericus esse non possit.«

Si vero ipse adversus fratrem suum aliquid haberet, corripere eum debere in parte; et si eum audisset, lucratus esset suum fratrem: sin minus, adhibendum esse unum aut duos. Quod si et ipsos contemneret, Ecclesiam adhibendam. Si vero et huic non obediret, esset illi ut ethnicus et publicanus. Et illud addens, ut fratri peccanti et veniam petenti, non septies, sed septuagies septies delictum relaxetur, sicut quisque a Domino quotidie sibi postulat relaxari (Matth. 18, 15 ss.).

CAPUT XXVI.

De convictu feminarum.

Feminarum intra domum ejus nulla unquam conversata est, nulla mansit ne quidem germana soror, quae vidua Deo serviens multo tempore usque in diem obitus sui praeposita ancillarum Dei vixit. Sed nec patrui sui filiae et fratris sui filiae, quae pariter Deo serviebant: quas personas sanctorum episcoporum concilia in exceptis posuerunt. Dicebat vero, quia etsi de sorore et neptibus secum commorantibus nulla nasci posset mala suspicio, tamen quoniam illae personae sine aliis necessariis secumque manentibus feminis esse non possent, et quod ad eas

aliae etiam aforis intrarent, de his posse offendiculum aut scandalum infirmioribus nasci, et illos qui cum episcopo vel quolibet clerico forte manerent, ex illis omnibus feminarum personis posse una commorantibus vel adventantibus, aut tentationibus humanis perire, aut certe malis hominum suspicionibus pessime diffamari: ob hoc ergo dicebat, nunquam debere feminas cum servis Dei, etiam castissimis, una manere domo, ne (ut dictum est) aliquod scandalum aut offendiculum tali exemplo poneretur infirmioribus. Et si forte ab aliquibus feminis ut videretur vel salutaretur, rogabatur, nunquam sine clericis testibus ad eum intrabant, vel solus cum solis unquam est locutus, nec si secretorum aliquid interesset.

CAPUT XXVII.

Officium erga destitutos et aegrotantes. Ambrosii in extremis praeclarum dictum. Altera episcopi morti propinquantis eximia sententia contra vitae hic prolixioris cupiditatem.

In visitationibus vero modum tenebat ab Apostolo definitum, ut non nisi pupillos et viduas in tribulationibus constitutas visitaret (Jacobi 1, 27). Et si forte ab aegro-

tantibus ob hoc peteretur, ut pro eis in praesenti Dominum rogaret eisque manus imponeret, sine mora pergebat. Feminarum autem monasteria non nisi urgentibus necessitatibus visitabat. Servandum quoque in vita et moribus hominis Dei referebat, quod in institutis sanctae memoriae Ambrosii compererat, ut uxorem cuiquam nunquam posceret, neque militare volentem ad hoc commendaret, neque in sua patria petitus iret ad convivium: de singulis rebus reddens causas, scilicet ne dum inter se conjugati casu jurgarent, ei maledicerent per quem conjuncti essent. Sed plane ad hoc sibi jam illis consentientibus petitum interesse debere sacerdotem, ut vel eorum jam pacta et placita firmarentur vel benedicerentur. Et ne militiae commendatus ejus culpa male agens suffragatori tribueretur. Et ne per frequentiam in patriae conviviis constitutus temperantiae amitteretur modus. Indicaverat quoque nobis se praedicti beatae memoriae viri in ultimo vitae constituti audisse sapientissimum et piissimum responsum, et multum laudabat ac praedicabat. Nam cum ille venerabilis ultima jaceret aegritudine, et a fidelibus honoratis lecto ejus astantibus, et videntibus eum de seculo ad Deum migraturum,

et ob hoc moerentibus tanti ac talis antistitis Ecclesiam posse privari verbi et sacramenti Dei dispensatione; rogaretur cum lacrymis, ut sibi a Domino vitae posceret commeatum, eum illis dixisse: „Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere: sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus[1]“. Et in his noster Augustinus senex elimata ac librata admirabatur et laudabat verba. Ideo enim eum dixisse intelligendum esse „nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus“, ne crederetur praefidens de suis purgatissimis moribus praesumpsisse, „non sic vixi ut me pudeat inter vos vivere:“ hoc enim dixerat ad illud quod homines de homine nosse poterant. Nam sciens examen aequitatis divinae, de bono se dixit Domino magis confidere: cui etiam in oratione quotidiana dominica dicebat: *Dimitte nobis debita nostra.* Cujusdam quoque coepiscopi et familiarissimi sui amici, in extremis vitae de talibus frequentissime referebat dictum: ad quem cum visitandum jam morti appropinquantem ventitasset, et ille manuum

---

[1]) Conferri haec possunt in vita s. Ambrosii a Paulino conscripta n. 45, quam opusc. t. 7. edidimus

gestu se de seculo exiturum significaret, atque a se illi esset responsum, adhuc eum Ecclesiae necessarium vivere posse, illum ne putaretur hujus vitae teneri cupiditate, ei respondisse: Si nunquam, bene; si aliquando, quare non modo?“ Et talem sententiam mirabatur et laudabat hominem protulisse, Deum quidem timentem, veruntamen in villa natum et nutritum, sed non multa lectionis eruditum scientia: contra illum aegrotantis scilicet sensum episcopi, de quo in epistola sua, quam de mortalitate scripsit sanctus martyr Cyprianus, ita retulit, dicens: „Cum quidam de collegis et consacerdotibus nostris infirmitate defessus et de appropinquante morte sollicitus, commeatum sibi precaretur, astitit deprecanti et jam pene morienti juvenis honore et majestate venerabilis, statura celsus et clarus aspectu, et quem astantem sibi vix posset humanus aspectus oculis carnalibus intueri, nisi quod talem videre jam poterat de seculo recessurus. Atque ille non sine quadam animi et vocis indignatione infremuit, et dixit: Pati timetis, exire non vultis; quid faciam vobis?[1])“

---

[1]) Leguntur haec n. 19. opusc. t. 4. p. 20.

CAPUT XXVIII.

Quae proxime ante mortem ab Augustino edita. Retractationum libri. Barbarorum irruptio. Hipponis obsidio.

Ante proximum vero diem obitus sui a se dictatos et editos recensuit libros, sive eos quos primo tempore conversionis suae adhuc laicus, sive quos presbyter, sive quos episcopus dictaverat, et quaecunque in his recognovit aliter quam sese habet ecclesiastica regula a se fuisse dictata et scripta, cum adhuc ecclesiasticum usum minus sciret minusque sapuisset, a semetipso et reprehensa et correcta sunt. Unde etiam duo conscripsit volumina, quorum est titulus, *De recensione librorum.* Praereptos etiam sibi quosdam libros ante diligentiorem emendationem a nonnullis fratribus conquerebatur, licet eos postmodum emendasset. Imperfecta etiam quaedam suorum librorum praeventus morte dereliquit[1]). Quique prodesse omnibus

---

[1]) Jam diu cogitavit et disposuit Augustinus, ut ipse testatur in prologo retract. n. 1, ut opuscula sua sive in libris, sive in epistolis, sive in tractatibus cum quadam judiciaria severitate recenseret, et quod offendere posset, velut censorio stilo denotaret. Ita enim scripsit jam a 412. ad Mar-

volens, et valentibus multa librorum legere et non valentibus, ex utroque divino testamento veteri et novo praemissa praefatione praecepta divina seu vetita ad vitae regulam

---

cellinum (ep. 143. al. 7. n. 2.): „Si mihi Deus, quod volo, praestiterit, ut omnium librorum meorum quaecunque mihi rectissime displicent opere aliquo ad hoc ipsum instituto, colligam atque demonstrem: tunc videbunt omnes homines, quam non sim acceptor personae meae. Vos autem, qui me multum diligitis, si talem me asseritis adversus eos, quorum malitia vel imperitia vel intelligentia reprehendor, ut me nusquam scriptorum meorum errasse dicatis, frustra laboratis, nec bonam causam suscepistis, facile in ea me ipso judice superamini: quoniam non mihi placet, cum a carissimis meis talis esse existimer, qualis non sum. Profecto enim non me, sed pro me alium sub meo nomine diligunt, si non quod sum, sed quod non sum diligunt. Nam in quantum me noverunt vel de me verum credunt, ego ab eis diligor: in quantum autem mihi tribuunt quod in me non cognoscunt, alium talem, qualem me putant, pro me diligunt etc.“ Id tamen negotii aggressus esse videtur non multo ante a. 427. nec absolvere potuit tot aliis distentus curis. Duos tantum conscripsit libros, in quorum primo ea retractat, quae ante episcopatum, in altero quae jam episcopus ediderat. Eum hisce concludit verbis: „Haec opera nonaginta tria in libris ducentis triginta duobus me dictasse recolui, quando haec retractavi, utrum adhuc essem aliquos dictaturus ignorans atque ipsam eorum retractationem in libris duobus edidi, urgentibus fratribus, antequam epi-

pertinentia excerpsit, atque ex his unum codicem fecit: ut qui vellet legeret, atque in eo vel quam obediens Deo inobediensve esset, agnosceret: et hoc opus voluit *Speculum* appellare. Verum brevi consequenti tempore divina voluntate et potestate provenit, ut manus ingens diversis telis armata et bellis exercitata, immanium hostium vandalorum et alanorum commixtam secum habens gothorum gentem, aliarumque diversarum personas, ex Hispaniae partibus transmarinis navibus Africae influxisset et irruisset[1]: universaque per loca Mauritaniarum etiam ad alias nostras transiens provincias et regiones, omni saeviens crudelitate et atrocitate, cuncta quae potuit exspoliatione, caedibus diversisque tormentis, incendiis, aliisque innumerabilibus et infandis malis depopulata est: nulli sexui, nulli parcens aetati, nec ipsis Dei sacerdotibus vel ministris, nec

---

stolas ac sermones ad populum, alios dictatos, alios a me dictos retractare coepissem.« Haesit autem eis *retractionum* nomeu, quamvis ipse illos *de recensione librorum* inscribat. Duo vero praecipue opera morte praeventus imperfecta reliquit; alterum nimirum opus adversus Julianum et opus de haeresibus ad Quodvultdeum.

[1]) Contigit haec vandalorum irruptio, quae ruinam attulit Ecclesiae catholicae in Africa, a. 428.

ipsis ecclesiarum ornamentis seu instrumentis vel aedificiis. Et hanc ferocissimam hostium grassationem et vastationem, ille Dei homo et factam fuisse et fieri, non ut ceteri hominum sentiebat et cogitabat: sed altius et profundius ea considerans, et in his animarum praecipue vel pericula vel mortes praevidens, solito amplius (quoniam, ut scriptum est, *Qui apponit scientiam, apponit dolorem* (Eccle. 1, 18), et *cor intelligens tinea ossibus*), fuerunt ei lacrymae panes die ac nocte, amarissimamque et lugubrem prae ceteris suae senectutis jam pene extremam ducebat ac tolerabat vitam. Videbat enim ille homo Dei civitates excidio perditas, pariterque cum aedificiis villarum habitatores alios hostili nece exstinctos, alios effugatos atque dispersos: ecclesias sacerdotibus ac ministris destitutas, virginesque sacras et quosque continentes ubique dissipatos: et in his alios tormentis defecisse, alios gladio interemptos esse, alios in captivitate perdita animi et corporis integritate ac fidei, malo more ac duro hostibus deservire; hymnos Dei et laudes de ecclesiis deperisse, aedificia ecclesiarum quamplurimis locis ignibus concremata, sollemnia quae Deo debentur de propriis locis desivisse, sacri-

ficia ac sacramenta divina vel non quaeri, vel quaerenti qui tradat non facile reperiri: in ipsas montium silvas et cavernas petrarum et speluncas confugientes, vel ad quasque munitiones, alios fuisse expugnatos et interfectos, alios ita necessariis sustentaculis evolutos atque privatos, ut fame contabescerent: ipsosque ecclesiarum praepositos et clericos, qui forte Dei beneficio vel eos non incurrerant, vel incurrentes evaserant, rebus omnibus exspoliatos atque nudatos egentissimos mendicare, nec eis omnibus ad omnia quibus fulciendi esssent subveniri posse: vix tres superstites ex innumerabilibus ecclesiis, hoc est carthaginensem, hipponensem et cirtensem, quae Dei beneficio excisae non sunt, et earum permanent civitates, et divino et humano fultae praesidio; licet post ejus obitum urbs hipponensis incolis destituta ab hostibus fuerit concremata. Et se inter haec mala cujusdam sapientis sententia consolabatur, dicentis: „Non erit magnus magnum putans quod cadunt ligna et lapides, et moriuntur mortales.“ Haec ergo omnia ille, ut erat alte sapiens, quotidie ubertim plangebat. Accrevitque moeroribus et lamentationibus ejus, ut etiam adhuc in suo statu consistentem ad eandem hipponensium re-

giorum civitatem ab iisdem hostibus veniretur obsidendam: quoniam in ejus tunc defensione fuerat constitutus comes quidam Bonifacius cum gothorum quondam foederatus exercitu, quam urbem ferme quartuordecim mensibus conclusam obsederunt: nam et litus illi marinum interclusione abstulerunt. Quo etiam ipsi nos de vicino cum aliis nostris coepiscopis confugeramus, in eademque omni ejus obsidionis tempore fuimus. Unde nobiscum saepissime colloquebamur, et Dei tremenda judicia prae oculis nostris posita considerabamus, dicentes: *Justus es Domine, et rectum judicium tuum* (Psal. 118, 137). Pariterque dolentes, gementes et flentes orabamus miserationum Patrem et Deum omnis consolationis, ut in eadem nos tribulatione sublevare dignaretur.

CAPUT XXIX.

Morbus extremus Augustini.

Et forte provenit ut una cum eodem ad mensam constitutis, et inde confabulantibus nobis diceret: „Noveritis me hoc tempore nostrae calamitatis id Deum rogare, ut aut hanc civitatem ab hostibus circumdatam liberare dignetur, aut si aliud ei vi-

detur, suos servos ad perferendam suam voluntatem fortes faciat, aut certe ut me de hoc seculo ad se accipiat.“ Quae ille dicens nosque instruens, deinceps cum eodem et nos et nostri omnes, et ipsi qui in eadem fuerant civitate, a summo Deo similiter petebamus. Et ecce tertio illius obsidionis mense decubuit febribus fatigatus, et illa ultima exercebatur aegritudine. Nec suum sane Dominus famulum fructu suae precis fraudavit. Nam et sibiipsi et eidem civitati quod lacrymosis depoposcit precibus, in tempore impetravit[1]. Novi quoque eundem et presbyterum et episcopum, pro quibusdam energumenis patientibus ut oraret rogatum, eumque in oratione lacrymas fundentem Deum rogasse, et daemones ab hominibus recessisse. Itemque ad aegrotantem et lecto vacantem quendam cum suo aegroto venisse, et rogavisse ut eidem manum imponeret, quo sanus esse posset: eumque respondisse, si aliquid in his posset, sibi hoc utique primitus praestitisset: et illum dixisse visitatum se fuisse

---

[1]) Nam quatuordecim mensium obsidionem solvere coacti sunt vandali. At cum rursus a. 431. auctas Bonifacii copias profligassent, non modo Hipponem, sed totam Africam romanam subjugarunt (Acta SS.).

sibique per somnium dictum esse: „Vade ad Augustinum episcopum, ut eidem manum imponat, et salvus erit.“ Quod dum comperisset, facere non distulit, et illum infirmum continuo Dominus sanum ab eodem discedere fecit.

CAPUT XXX.

Consilium an hostibus adventantibus ex ecclesiis episcopis recedendum sit.

Interea reticendum minime est, cum memorati impenderent hostes, a sancto viro quoque nostro coepiscopo thiabensis ecclesiae Honorato, literis fuisse consultum, utrumnam illis adventantibus ex ecclesiis episcopis vel clericis recedendum esset, necne. Eique rescriptis insinuasse quid magis ab illis Romaniae[1]) eversoribus esset metuendum. Quam ejus epistolam huic scripturae inserere volui: est enim sacerdotum Dei, et ministrorum moribus valde utilis et necessaria. Isto modo rescriptum est ad eundem ab eodem[2]):

---

[1]) *Romania* hic vocatur ditio romani imperii in Africa.

[2]) Haec epistola est n. 228. al. 180. scripta circa a. 428. vel 429.

Sancto fratri et coepiscopo Honorato Augustinus in Domino salutem.

1. Caritati tuae misso exemplo epistolae[1]), quam fratri Quodvultdeo nostro coepiscopo scripsi, putabam me hoc onere caruisse, quod mihi imposuisti, quaerendo consilium quid in his periculis, quae tempora nostra invenerunt, facere debeatis. Quamvis enim epistolam illam breviter scripserim, nihil me tamen praetermisisse arbitror, quod et respondenti dicere, et quaerenti audire sufficeret: quandoquidem dixi, nec eos esse prohibendos, qui ad loca, si possunt, munita migrare desiderant; et ministerii nostri vincula, quibus nos Christi caritas alligavit, ne deseramus ecclesias, quibus servire debemus, non esse rumpenda. Ista quippe verba sunt, quae in illa epistola posui: Restat ergo, inquam, ut nos quorum ministerium quantulaecunque plebi Dei ubi sumus manenti ita necessarium est, ut sine hoc eam non oporteat remanere, dicamus Domino: *Esto nobis in Deum protectorem et in locum munitum* (Psalm 30, 3).

---

[1]) Haec epistola non amplius exstat.

2. Sed hoc consilium tibi propterea non sufficit, ut scribis, ne contra Domini praeceptum vel exemplum facere nitamur, ubi fugiendum esse de civitate in civitatem monet. Recolimus enim verba dicentis, *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam* (Math. 10, 23). Quis autem credat ita hoc Dominum fieri voluisse, ut necessario ministerio, sine quo vivere nequeunt, deserantur greges, quos suo sanguine comparavit? Numquid hoc fecit ipse, quando portantibus parentibus in Aegyptum parvulus fugit, qui nondum ecclesias congregaverat, quas ab eo desertas fuisse dicamus? Numquid quando apostolus Paulus, ne illum comprehenderet inimicus per fenestram in sporta submissus est (2. Cor. 11, 33), et effugit manus ejus, deserta est quae ibi erat ecclesia necessario ministerio, et non ab aliis fratribus ibidem constitutis quod oportebat impletum est? Eis quippe volentibus hoc Apostolus fecerat, ut se ipsum servaret Ecclesiae, quem proprie persecutor ille quaerebat. Faciant ergo servi Christi, ministri verbi et sacramenti ejus quod praecepit sive permisit. Fugiant omnino de civitate in civitatem, quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus quaeritur, ut ab aliis qui

non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia, sed praebeant cibaria conservis suis, quos aliter vivere non posse noverunt. Cum autem omnium, id est, episcoporum, clericorum et laicorum est commune periculum, hi qui aliis indigent, non deserantur ab his quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes transeant; aut qui habent remanendi necessitatem, non relinquantur ab eis, per quos illorum est ecclesiastica supplenda necessitas, ut aut pariter vivant, aut pariter sufferant, quod eos paterfamilias volet perpeti.

3. Quod si contigerit, ut sive alii minus, alii majus, sive omnes aequaliter patiantur, qui eorum sint qui pro aliis patiuntur apparet, illi scilicet qui cum se possent talibus malis eripere fugiendo, ne aliorum necessitatem desererent, manere maluerunt. Hinc maxime probatur illa caritas, quam Joannes apostolus commendat, dicens: *Sicut Christus animam suam pro nobis posuit, sic et nos debemus animas pro fratribus ponere* (1. Joan. 3, 16). Nam qui fugiunt, vel suis devincti necessitatibus fugere non possunt, si comprehensi patiuntur, pro se ipsis, non pro fratribus, utique patiuntur. Qui vero propterea patiuntur, quia fratres, qui eis ad christianam salutem indigebant, deserere

noluerunt, sine dubio suas animas pro fratribus ponunt.

4. Unde illud quod episcopum quemdam dixisse audivimus, „Si Dominus nobis imperavit fugam in eis persecutionibus, ubi potest fructus esse martyrii; quanto magis debemus fugere steriles passiones, quando est barbaricus et hostilis incursus?“ verum est quidem et acceptabile, sed his quos ecclesiastici officii non tenent vincula. Nam qui clades hostiles ideo non fugit, cum possit effugere, ne deserat ministerium Christi, sine quo non possunt homines vel fieri vel vivere christiani, majorem caritatis invenit fructum, quam qui non propter fratres, sed propter se ipsum fugiens atque comprehensus non negat Christum suscipitque martyrium.

5. Quid est ergo quod in epistola tua priore posuisti? Dicis enim; „Si in ecclesiis persistendum est, quid simus nobis vel populo profuturi non video, nisi ut ante oculos nostros viri cadant, feminae constuprentur, incendantur ecclesiae, nos ipsi in tormentis deficiamus, cum de nobis quaeritur quod non habemus.“ Potens est quidem Deus audire preces familiae suae, et haec, quae formidantur, avertere, nec ideo tamen

propter ista, quae incerta sunt, debet nostri officii esse certa desertio, sine quo est plebi certa pernicies, non in rebus vitae hujus, sed alterius incomparabiliter diligentius sollicitiusque curandae. Nam si certa essent ista mala, quae timentur, ne in locis, in quibus sumus, forte contingant, prius inde fugerent omnes, propter quos ibi manendum est, et nos a manendi necessitate liberos redderent. Non enim quisquam est, qui dicat ministros manere oportere, ubi jam non fuerint quibus necesse sit ministrare. Ita quidam sancti episcopi de Hispania profugerunt, prius plebibus partim fuga lapsis, partim peremptis, partim obsidione consumptis, partim captivitate dispersis: sed multo plures illic manentibus, propter quos manerent, sub eorundem periculorum densitate manserunt. Et si aliqui deseruerunt plebes suas, hoc est quod dicimus fieri non debere. Neque enim tales docti auctoritate divina, sed humano vel errore decepti, vel timore sunt victi.

6. Cur enim sibi putant indifferenter obtemperandum esse praecepto, ubi legunt de civitate in civitatem esse fugiendum (Matth. 10, 23); et mercenarium non exhorrent, qui videt lupum venientem et fugit, quoniam non est ei cura de ovibus (Joan. 10, 12)?

Cur non istas duas dominicas verasque sententias, unam scilicet ubi fuga sinitur aut jubetur, alteram ubi arguitur atque culpatur, sic intelligere student, ut inter se reperiantur non esse contrariae, sicut non sunt? Et hoc quomodo reperitur, nisi attendatur quod jam superius disputavi, tunc de locis, in quibus sumus, premente persecutione fugiendum esse Christi ministris, quando ibi aut plebs Christi non fuerit, cui ministretur; aut etiam fuerit, et potest impleri per alios necessarium ministerium, quibus eadem non est causa fugiendi, sicut in sporta submissus, quod supra memoravi, fugit Apostolus, cum a persecutore proprie ipse quaereretur, aliis utique necessitatem similem non habentibus, a quibus illic ministerium absit ut desereretur ecclesia; sicut fugit sanctus Athanasius alexandrinus episcopus, cum eum specialiter apprehendere Constantius cuperet imperator, nequaquam a ceteris ministris deserta plebe catholica, quae in Alexandria commanebat. Cum autem plebs manet, et ministri fugiunt ministeriumque subtrahitur, quid erit nisi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non est cura de ovibus? Veniet enim lupus, non homo, sed diabolus; qui plerumque fideles apostatas esse persuasit, quibus quotidianum

ministerium dominici corporis defuit; et peribit infirmus in tua non scientia, sed ignorantia frater, propter quem Christus mortuus est (1. Cor. 8, 11).

7. Quod autem ad eos attinet, qui in hac re non falluntur errore, sed formidine superantur, quare non potius contra suum timorem Domino miserante atque adjuvante fortiter dimicant, ne mala sine comparatione graviora, quae multo amplius sunt tremenda, contingant? Fit hoc ubi Dei caritas flagrat, non mundi cupiditas fumat. Caritas enim dicit: *Quis infirmatur, et non ego infirmor? Quis scandalizatur, et non ego uror* (2. Cor. 11, 29)? Sed caritas ex Deo est. Oremus ergo ut ab illo detur, a quo jubetur. Et per hanc magis timeamus, ne oves Christi spiritalis nequitiae gladio in corde, quam ne ferro in corpore trucidentur, ubi quandocunque quocunque mortis genere morituri sunt. Magis timeamus ne sensu interiori corrupto, pereat castitas fidei, quam ne feminae violenter constuprentur in carne. Quia violentia non violatur pudicitia, si mente servatur: quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis sua turpiter carne non utitur, sed sine consensione tolerat quod alius operatur. Magis timeamus ne lapides vivi exstinguantur de-

serentibus nobis, quam ne lapides et ligna terrenorum aedificiorum incendantur praesentibus nobis. Magis timeamus ne membra corporis Christi destituta spiritali victu necentur, quam ne membra corporis nostri oppressa hostili impetu torqueantur. Non quia ista non sunt vitanda cum possunt; sed quia potius ferenda sunt, quando vitari sine impietate non possunt: nisi forte quisquam contenderit non esse ministrum impium, qui tunc subtrahit ministerium pietati necessarium, quando magis est necessarium.

8. An non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni aetate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam poenitentiae ipsius actionem, omnibus consolationem et sacramentorum confectionem et erogationem? Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos qui de isto seculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitae aeternae requie non habebunt? Quantus denique gemitus omnium et quorundam quanta blasphemia de absentia ministeriorum et ministrorum? Vide quid faciat

malorum temporalium timor, et quanta in eo sit acquisitio malorum aeternorum. Si autem ministri adsint, pro viribus quas eis Dominus subministrat, omnibus subvenitur; alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli dominici corporis communione fraudantur, omnes consolantur, aedificantur, exhortantur, ut Deum rogent, qui potens est omnia, quae timentur, avertere; parati ad utrumque, ut si non potest ab eis calix iste transire, fiat voluntas ejus, qui mali aliquid non potest velle.

9. Certe jam vides quod te scripseras non videre, quantum boni consequantur populi christiani, si in praesentibus malis non eis desit praesentia ministrorum Christi, quorum vides etiam quantum obsit absentia, dum sua quaerunt non quae Jesu Christi; nec habent illam de qua dictum est: *Non quaerit quae sua sunt* (1. Cor. 13, 5); nec imitantur eum qui dixit: *Non quaerens quod mihi utile, sed quod multis, ut salvi fiant* (Ib. 10, 33). Qui etiam persecutoris principis illius insidias non fugisset, nisi se aliis quibus necessarius erat, servare voluisset. Propter quod ait: *Compellor autem ex duobus concupiscentiam habens, dissolvi et esse cum Christo, multo magis optimum; manere autem in carne necessarium propter vos* (Philip. 1, 23).

10. Hic forte quis dicat, ideo debere Dei ministros fugere talibus imminentibus malis, ut se pro utilitate Ecclesiae temporibus tranquillioribus servent. Recte hoc fit a quibusdam, quando non desunt alii, per quos suppleatur ecclesiasticum ministerium, ne ab omnibus deseratur; quod fecisse Athanasium supra diximus. Nam quantum necessarium fuerit Ecclesiae, quantumque profuerit, quod vir ille mansit in carne, catholica fides novit, quae adversus arianos haereticos ore illius et amore defensa est. Sed quando est commune periculum, magisque timendum est, ne quisquam id facere credatur, non consulendi voluntate, sed timore moriendi, magisque fugiendi obsit exemplo, quam vivendi prosit officio, nulla ratione faciendum est. Denique sanctus David, ne se committeret periculis praeliorum, et fortassis *extingueretur*, sicut ibi dictum est, *lucerna Israel* (2. Reg. 21, 17), a suis hoc petentibus sumpsit, non ipse praesumpsit; alioquin multos imitatores fecisset ignaviae, qui eum crederent hoc fecisse non consideratione utilitatis aliorum, sed suae perturbatione formidinis.

11. Occurrit autem alia quaestio, quam contemnere non debemus. Si enim haec utilitas negligenda non est, ut aliqui ministri

propterea fugiant imminente aliqua vastitate, ut serventur qui ministrent eis, quos post illam cladem residuos potuerint invenire. quid fiet ubi omnes videntur interituri, nisi aliqui fugiant? Quid si enim hactenus saeviat illa pernicies, ut solos ministros Ecclesiae persequatur? Quid dicemus, an reliquenda est a ministris fugientibus Ecclesia, ne a morientibus miserabilius relinquatur? Sed si laici non quaeruntur ad mortem, possunt occultare quoquo modo episcopos et clericos suos, sicut ille adjuverit, in cujus potestate sunt omnia, qui potest et non fugientem per mirabilem conservare potentiam. Sed ideo quaerimus quid nos facere debeamus, ne in omnibus exspectando divina miracula tentare Dominum judicemur. Non quidem talis est ista tempestas, quando laicorum et clericorum est commune periculum, sicut in navi una commune periculum est mercatorum atque nautarum. Verum absit ut tanti pendenda sit haec navis nostra, ut debeant eam nautae, et maxime gubernator, periclitantem deserere, etiam si in scapham transiliendo vel etiam natando possint effugere. Quibus enim metuimus ne nostra desertione pereant, non temporalem mortem, quae quandoque ventura est, sed aeternam, quae potest, si non

caveatur, venire, et potest, si caveatur, etiam non venire, metuimus. In communi autem periculo vitae hujus cur existimamus ubicunque fuerit hostilis incursus, omnes clericos et non etiam omnes laicos esse morituros, ut simul finiant hanc vitam, cui sunt clerici necessarii? aut cur non speremus sicut laicos aliquos, sic etiam clericos remansuros, a quibus eis necessarium ministerium valeat exhiberi?

12. Quamquam o si inter Dei ministros inde sit disceptatio, qui eorum maneant, ne fuga omnium, et qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia! Tale quippe certamen erit inter eos, ubi utrique ferveant caritate, et utrique placeant caritati, Quae disceptatio si aliter non potuerit terminari, quantum mihi videtur, qui maneant et qui fugiant, sorte legendi sunt. Qui enim dixerint se potius fugere debere, aut timidi videbuntur, quia imminens malum sustinere noluerunt; aut arrogantes, quia se magis qui servandi essent, necessarios Ecclesiae judicarunt. Deinde fortassis ii. qui meliores sunt, eligent pro fratribus animas ponere; et hi servabuntur fugiendo, quorum est minus utilis vita, quia minor consulendi et gubernandi peritia. Qui

tamen si pie sapiunt, contradicent eis, quos vident et vivere potius oportere, et magis mori malle, quam fugere. Ideo sicut scriptum est: *Contradictiones sedat sortitio, et inter potentes definit* (Prov. 18, 18). Melius enim Deus in hujuscemodi ambagibus, quam homines judicat, sive dignetur ad passionis fructum vocare meliores, et parcere infirmis, sive istos facere ad mala perferenda fortiores, et huic vitae subtrahere, quorum non potest Dei Ecclesiae tantum quantum illorum vita prodesse. Res quidem fiet minus usitata, si fiat ista sortitio; sed si facta fuerit, quis eam reprehendere audebit? Quis non eam nisi imperitus, aut invidus, congrua praedicatione laudabit? Quod si non placet facere, cujus facti non occurrit exemplum, nullius fuga faciat ut Ecclesiae ministerium, maxime in tantis periculis necessarium ac debitum, desit. Nemo excipiat personam suam, ut si aliqua gratia videtur excellere, ideo se dicat vita, et ob hoc fuga esse digniorem. Quisquis enim hoc putat nimium sibi placet: quisquis autem etiam hoc dicit, omnibus displicet.

13. Sunt sane qui arbitrantur episcopos et clericos non fugientes in talibus periculis, sed manentes, facere ut plebes decipiantur, cum ideo non fugiunt, quia manere suos prae-

positos cernunt. Sed facile est hanc responsionem vel invidiam declinare, alloquendo easdem plebes, atque dicendo: Non vos decipiat, quod de loco isto non fugimus. Non enim propter nos, sed propter vos potius hic manemus, ne vobis non ministremus quidquid saluti vestrae, quae in Christo est, novimus necessarium. Si ergo fugere volueritis, et nos ab istis, quibus tenemur, vinculis solvistis. Quod tunc puto esse dicendum, quando vere videtur utile esse ad loca tutiora migrare. Quo audito si vel omnes vel aliqui dixerint, in illius potestate sumus, cujus iram nullus quocunque vadit, evadit; cujus misericordiam, ubicunque sit, potest invenire. qui nusquam vult ire, sive certis necessitatibus impeditus, sive laborare nolens ad incerta suffugia, et non ad finienda, sed ad mutanda pericula: procul dubio isti deserendi non sunt ministerio christiano. Si autem hoc audito abire maluerint, nec illis manendum est, qui propter illos manebant; quia ibi jam non sunt propter quos manere adhuc debeant.

14. Quicunque igitur isto modo fugit, ut Ecclesiae necessarium ministerium illo fugiente non desit, facit quod Dominus praecepit, sive permisit. Qui autem sic fugit,

ut gregi Christi ea, quibus spiritaliter vivit, alimenta subtrahantur, mercenarius ille est qui videt lupum venientem, et fugit, quoniam non est ei cura de ovibus. Haec tibi, quia me consuluisti, frater dilectissime, qua existimavi veritate et certa caritate rescripsi; sed ne meliorem, si inveneris, sequaris sententiam, non praescripsi. Melius tamen quod in his periculis faciamus, invenire non possumus, quam orationis ad Dominum Deum nostrum, ut misereatur nostri. Quod ipsum, ut scilicet Dei Ecclesias non desererent, Dei dono nonnulli prudentes et sancti viri et velle et facere meruerunt, et inter dentes obtrectantium a sui propositi intentione minime defecerunt."

CAPUT XXXI.

Mors et sepultura Augustini. Psalmi poenitentiales. Sacrificium pro mortuo oblatum. Bibliotheca. Monasteria. Epitaphium poetae cujusdam.

Sane ille sanctus in vita sua prolixa pro utilitate ac felicitate sanctae Ecclesiae catholicae divinitus condonata, vixit annis septuaginta et sex, in clericatu autem vel episcopatu annis ferme quadraginta. Dicere autem nobis inter familiaria colloquia consueverat, post perceptum baptismum etiam laudatos christianos et sacerdotes absque

digna et competenti poenitentia exire de corpore non debere. Quod et ipse fecit ultima qua defunctus est aegritudine: nam sibi jusserat Psalmos davidicos, qui sunt paucissimi de poenitentia scribi, ipsosque quaterniones jacens in lecto contra parietem positos diebus suae infirmitatis intuebatur et legebat, et jugiter ac ubertim flebat: et ne intentio ejus a quoquam impediretur, ante dies ferme decem quam exiret de corpore, a nobis postulavit praesentibus, ne quis ad eum ingrederetur, nisi iis tantum horis, quibus medici ad inspiciendum intrarent, vel cum ei refectio inferretur. Et ita observatum ac factum est, et omni illo tempore orationi vacabat. Verbum Dei usque ad ipsam suam extremam aegritudinem impraetermisse, alacriter et fortiter, sana mente sanoque consilio in Ecclesia praedicavit. Membris omnibus sui corporis incolumis, integro aspectu atque auditu, et, ut scriptum est, nobis astantibus et videntibus et cum eo pariter orantibus, obdormivit cum patribus suis, enutritus in bona senectute[1]): et nobis coram pro ejus

---

[1]) Obiit s. episcopus die 28. Augusti a. 430. annos natus 76 minus duobus mensibus et diebus

commendanda corporis depositione, sacrificium Deo oblatum est, et sepultus est. Testamentum nullum fecit, quia unde faceret pauper Dei non habuit. Ecclesiae bibliothecam et omnes codices diligenter posteris custodiendos semper jubebat. Si quid vero ecclesia vel in sumptibus, vel in ornamentis habuit, fidei presbyteri, qui sub eodem domus ecclesiae curam gerebat, dimisit. Nec suos consanguineos, vel in proposito vel extra constitutos, in sua vita et morte vulgi more tractavit. Quibus dum adhuc superesset, id si opus fuit, quod et ceteris erogavit, non ut divitias haberent, sed ut aut non, aut minus egerent. Clerum sufficientissimum, et monasteria virorum ac feminarum continentium cum suis praepositis plena Ecclesiae dimisit, una cum bibliothecis libros et tractatus vel suos vel aliorum sanctorum habentibus, in quibus dono Dei qualis quantusque in Ecclesia fuerit noscitur, et in his semper vivere a fidelibus invenitur. Juxta quod etiam secularium qui-

sexdecim. Obitum ejus ita refert Prosper in chron. ad a. 430: „Augustinus episcopus per omnia excellentissimus moritur 5. cal. Sept. libris Juliani inter impetus obsidentium vandalorum in ipso dierum suorum fine respondens, et gloriose in defensione christianae gratiae perseverans.“

dam poetarum suis jubens quo sibi tumulum mortuo in aggere publico collocarent, pro epigrammate finxit, dicens,

Vivere post obitum vatem vis nosse viator,
Quod legis ecce loquor, vox tua nempe mea est.

Et in suis quidem scriptis ille Deo acceptus et carus sacerdos, quantum lucente veritate videre conceditur, recte ac sane, fidei, spei et caritatis catholicae Ecclesiae vixisse manifestatur. Quod agnoscunt qui eum de divinis scribentem legentes proficiunt. Sed ego arbitror plus ex eo proficere potuisse, qui eum et loquentem in ecclesia praesentem audire et videre potuerunt, et ejus praesertim inter homines conversationem non ignoraverunt. Erat enim non solum eruditus scriba in regno coelorum, de thesauro suo proferens nova et vetera, et unus negotiatorum, qui inventam pretiosam margaritam,

---

[1]) Placet haec confirmare s. Coelestini papae elogio, qui ad Galliae episcopos (ep. 21. c. 2) sic scribit: „Augustinum sanctae recordationis virum, pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistrae suspicionis saltem rumor aspersit: quem tantae scientiae olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam a meis decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis et amori fuerit et honori.“

quae habebat venditis, comparavit, verum etiam ex iis, ad quos scriptum est: *Sic loquimini, et sic facite* (Jacobi 2, 12): et de quibus Salvator dicit: *Qui fecerit et docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno coelorum* (Matth. 5, 19).

Peto autem impendio vestram caritatem, qui haec scripta legitis, ut mecum omnipotenti Deo gratias agatis Dominumque benedicatis, qui tribuit mihi intellectum, ut haec in notitiam et praesentium et absentium praesentis temporis et futuri hominum, et vellem deferre, et valuissem: et mecum ac pro me oretis, ut illius quondam viri, cum quo ferme annis quadraginta Dei dono absque amara ulla dissensione familiariter ac dulciter vixi, et in hoc seculo aemulator et imitator exsistam, et in futuro omnipotentis Dei promissis cum eodem perfruar. Amen[1].

---

[1]) Vitae subjecit Possidius catalogum seu indiculum librorum s. Augustini, quem hisce absolvit verbis: „Ac per hoc, (*desunt nonnulla, unde locus est mendosus*) quod memoratus s. Augustinus episcopus spiritu divino actus, in sancta Ecclesia catholica ad instructionem animarum fecit libros, tractatus, epistolas numero 1030, exceptis iis qui numerari non possunt, quia nec numerum designavit ipsorum.“ Praetermisit tamen Possidius quaedam opuscula ut *de praedestinatione sanctorum, de dono perseverantiae.*

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE CATECHIZANDIS RUDIBUS.[1]

CAPUT I.

Rogatus a diacono carthaginensi scribit de catechizandis rudibus.

Petisti me, frater Deogratias, ut aliquid ad te de catechizandis rudibus, quod tibi usui

---

[1]) Scriptum videtur hic libellus c. a. 400. Ejus argumentum et scopum ita paucis cl. *Fessler* (Instit. patrol. T. 2. §. 301.) complectitur: „Diaconus quidam carthaginensis (Deogratias nomine), ad quem primis fidei elementis imbuendi saepius deducebantur, quia sacra eruditione, suavi facundia ac singulari catechizandi facultate pollebat, pene semper angustias patiebatur, dubius et anceps, quo modo et ordine ea, quorum fides nos christianos facit, exponeret, et quam ob causam illi dicenti taedium subrepere soleret. Quapropter s. Augustinum rogavit, ut artem catechizandi ipsi traderet (n. 1.). Hinc s. Augustinus diligenter exponit, quo ordine, quo fine, quibus ex fontibus et qua circumspectione catechista debeat

esset, scriberem. Dixisti enim, quod saepe apud Carthaginem, ubi diaconus es, ad te adducuntur qui fide christiana primitus imbuendi sunt, eo quod existimeris habere catechizandi uberem facultatem et doctrina fidei et suavitate sermonis: te autem pene semper angustias pati, idipsum, quod credendo christiani sumus, quo pacto commode intimandum sit; unde exordienda, quo usque sit perducenda narratio; utrum exhortationem aliquam terminata narratione adhibere debeamus, an praecepta sola quibus observandis, cui loquimur, noverit christianam vitam professionemque retineri. Saepe autem tibi

---

instruere catechumenos, qui velint ad religionem christianam transire, sive sint idiotae, sive eruditi, qua ratione debeat eorum intentionem purgare eosque munire a scandalis malorum christianorum (n. 2—13. 23); tum praecepta tradit, ut negotium istud etiam sine taedio et cum hilaritate impleatur, quem in finem singulas taedii causas affert eisque apta remedia indicat (n. 14—22). Tandem duo exempla orationis ad ejusmodi catechumenos habendae unum prolixius, alterum brevius adjungit.« Hinc liquet quantae utilitatis sit hic libellus, qui etiam saepius seorsim prodiit. Illius versionem in linguam germanicam adornavit illustrissimus archiepiscopus salisburgensis Augustinus Gruber eamque auxit annotationibus, quae non minus pietate quam utilitate se commmendant. Tertio jam prodiit haec editio Salisburgi a. 1844.

accidisse confessus atque conquestus es, ut in sermone longo et tepido tibi ipse vilesceres, essesque fastidio, nedum illi, quem loquendo imbuebas, et ceteris, qui audientes aderant: eaque te necessitate fuisse compulsum, ut ea me, quam tibi debeo, caritate compelleres, ne gravarer inter occupationes meas tibi de hac re aliquid scribere.

2. Ego vero non ea tantum, quam familiariter tibi, sed etiam quam matri Ecclesiae universaliter debeo, caritate ac servitute compellor, si quid per operam meam, quam Domini nostri largitate possum exhibere, idem eos Dominus, quos mihi fratres fecit, adjuvari jubet, nullo modo recusare, sed potius promta et devota voluntate suscipere. Quanto enim cupio latius erogari pecuniam dominicam, tanto magis me oportet, si quam dispensatores conservos meos difficultatem in erogando sentire cognosco, agere quantum in me est, ut facile atque expedite possint, quod impigre ac studiose volunt.

CAPUT II.

Sermo saepe qui audienti placet, displicet dicenti: unde id contingat.

3. Sed quod ad tuam proprie considerationem pertinet, nolim te moveri ex eo,

quod saepe tibi abjectum sermonem fastidiosumque habere visus es. Fieri enim potest, ut ei, quem instruebas, non ita sit visum, sed quia tu aliquid melius audiri desiderabas, eo tibi quod dicebas videretur indignum auribus aliorum. Nam et mihi prope semper sermo meus displicet. Melioris enim avidus sum, quo saepe fruor interius, ante quam eum explicare verbis sonantibus coepero: quod ubi minus, quam mihi notus est, evaluero, contristor, linguam meam cordi meo non potuisse sufficere. Totum enim, quod intelligo, volo, ut qui me audit, intelligat; et sentio, me non ita loqui, ut hoc efficiam: maxime quia ille intellectus quasi rapida coruscatione perfundit animum; illa autem locutio tarda et longa est longeque dissimilis: et dum ista volvitur, jam se ille in secreta sua condidit: tamen quia vestigia quaedam miro modo impressit memoriae, perdurant illa cum syllabarum morulis; atque ex eisdem vestigiis sonantia signa peragimus, quae lingua dicitur vel latina, vel graeca, vel hebraea, vel alia quaelibet; sive cogitentur haec signa, sive etiam voce proferantur; cum illa vestigia nec latina, nec graeca vel hebraea, nec cujusque alterius gentis sint propria, sed ita efficiantur in animo, ut vultus in corpore.

Aliter enim latine ira dicitur, aliter graece, aliter atque aliter aliarum diversitate linguarum: non autem latinus aut graecus est vultus irati. Non itaque omnes gentes intelligunt, cum quisque dicit: Iratus sum, sed latini tantum: at si affectus excandescentis animi exeat in faciem vultumque faciat, omnes sentiunt qui intuentur iratum. Sed neque ita licet educere et quasi exporrigere in sensum audientium per sonum vocis illa vestigia, quae imprimit intellectus memoriae, sicut apertus et manifestus est vultus: illa enim sunt intus in animo, iste foris in corpore. Quapropter conjiciendum est, quantum distet sonus oris nostri ab illo ictu intelligentiae, quando ne ipsi quidem impressioni memoriae similis est. Nos autem plerumque in auditoris utilitatem vehementer ardentes, ita loqui volumus, quemadmodum tunc intelligimus, cum per ipsam intentionem loqui non possumus: et quia non succedit, angimur, et velut frustra operam insumamus, taedio marcescimus: atque ex ipso taedio languidior fit idem sermo et hebetior, quam erat, unde perduxit ad taedium.

4. Sed mihi saepe indicat eorum studium, qui me audire cupiunt, non ita esse frigidum eloquium meum, ut videtur mihi: et eos inde

aliquid utile capere, ex eorum delectatione cognosco: mecumque ago sedulo, ut huic exhibendo ministerio non desim, in quo illos video bene accipere quod exhibetur. Sic et tu eo ipso, quod ad te saepius adducuntur qui fide imbuendi sunt, debes intelligere, non ita displicere aliis sermonem tuum, ut displicet tibi: nec infructuosum te debes putare, quod ea, quae cernis, non explicas ita, ut cupis, quando forte, ut cupis, nec cernere valeas. Quis enim in hac vita nisi in aenigmate et per speculum videt? Nec ipse amor tantus est, ut carnis disrupta caligine penetret in aeternum serenum, unde utcunque fulgent etiam ista, quae transeunt. Sed quia boni proficiunt de die in diem ad videndum diem sine volumine coeli et sine noctis incursu, quem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (1. Cor. 2, 9): nulla major causa est, cur nobis in imbuendis rudibus noster sermo vilescat, nisi quia libet inusitate cernere, et taedet usitate proloqui. Et re quidem vera multo gratius audimur, cum et nos eodem opere delectamur: afficitur enim filum locutionis nostrae ipso nostro gaudio, et exit facilius atque acceptius. Quapropter non arduum est negotium ea, quae credenda insinuantur,

praecipere, unde et quo usque narranda sint: nec quomodo sit varianda narratio, ut aliquando brevior, aliquando longior, semper tamen plena atque perfecta sit; et quando breviore, et quando longiore sit utendum: sed quibus modis faciendum sit, ut gaudens quisque catechizet (tanto enim suavior erit, quanto magis id potuerit), ea cura maxima est. Et praeceptum quidem rei hujus in promptu est. Si enim in pecunia corporali, quanto magis in spiritali hilarem datorem diligit Deus (2. Cor. 9, 7)? Sed haec hilaritas ad horam ut adsit, ejus est misericordiae, qui ista praecepit. Itaque prius de modo narrationis, quod te velle cognovi, tum de praecipiendo atque cohortando, postea de hac hilaritate comparanda, quae Deus suggesserit, disseremus[1]).

---

[1]) Quamvis optima sint praecepta, quae s. doctor hoc in libello de catechizandis rudibus tradit, juverit tamen pro opportunitate quaedam addere ex ejusdem l. 4. de doctrina christiana, quem post annos fere triginta (a. scil. 326. vel 327), post diuturnum proinde usum composuit. Altior quidem est hujus libri scopus, non enim destinatus est iis, qui *rudes* catechizant, sed *oratoribus sacris.* Plura tamen ex iis, quae his praecipiuntur, negligi ab illis non debent. Inter haec referri possunt quae sapienter s. Augu-

CAPUT III.

Narratio plena, quae fieri debeat catechizando.

5. Narratio plena est, cum quisque primo catechizatur ab eo, quod scriptum est: *In*

---

stinus advertit (l. 4. c. 2): „Cum per artem rhetoricam et vera suadeantur et falsa, quis audeat dicere, adversus mendacium in defensoribus suis inermem debere consistere veritatem, ut videlicet illi, qui res falsas persuadere conantur, noverint auditorem vel benevolum, vel intentum, vel docilem prooemio facere, et isti vera sic narrent, ut audire taedeat, intelligere non pateat, credere postremo non libeat? Illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, asserant falsitatem; isti nec vera defendere, nec falsa valeant refutare? Illi animos audientium in errorem moventes impellentesque dicendo terreant, contristent, exhilarent, exhortentur ardenter; isti pro veritate lenti frigidique dormitent? Quis ita desipiat, ut hoc sapiat? Cum ergo sit in medio posita facultas eloquii, quae ad persuadenda seu prava seu recta valet plurimum, cur non bonorum studio comparatur, ut militet veritati, si eam mali ad obtinendas perversas vanasque causas in usus iniquitatis et erroris usurpant?“ Deinde c. 4. officium doctoris christiani describens ita disserit: „Debet igitur divinarum Scripturarum tractator et doctor, defensor rectae fidei et debellator erroris, et bona docere et mala dedocere: atque in hoc opere sermonis conciliare adversos, remissos erigere, nescientibus quid agatur, quid exspectare debeant, intimare. Ubi autem benevolos, intentos, dociles aut invenerit aut ipse fecerit, cetera pergenda sunt sicut postulat causa. Si docendi sunt qui audiunt, narratione faciendum est, si tamen in-

principio fecit Deus coelum et terram (Gen. 1, 1), usque ad praesentia tempora Ecclesiae. Non tamen propterea debemus totum Pentateuchum, totosque Judicum et

---

digeat, ut res de qua agitur, innotescat. Ut autem quae dubia sunt, certa fiant, documentis adhibitis ratiocinandum est. Si vero qui audiunt, movendi sunt potius quam docendi, ut in eo quod jam sciunt, agendo non torpeant et rebus assensum, quas veras esse fatentur, accomodent, majoribus dicendi viribus opus est. Ibi obsecrationes et increpationes, concitationes et coërcitiones, et quaecunque alia valent ad commovendos animos, sunt necessaria.‹ Ad specialia progrediens praecepta, tria inter alia consulit. *Primo* ›huic qui sapienter debet dicere, etiam quod non potest eloquenter, verba Scripturarum tenere maxime necessarium est. Quanto enim se pauperiorem cernit in suis, tanto eum oportet in istis esse ditiorem, ut quod dixerit suis verbis, probet ex illis; et qui propriis verbis minor erat, magnorum testimonio quodam modo crescat. Probando enim delectat, qui minus potest delectare dicendo (l. 4. c. 5. n. 8.)‹ *Alterum* quod graviter commendat, hisce continetur (ib. c. 8): „In omnibus sermonibus suis primitus ac maxime ut intelligantur elaborent, ea quantum possunt perspicuitate dicendi, ut aut multum tardus sit qui non intelligat, aut in rerum, quas explicare atque ostendere volumus, difficultate ac subtilitate, non in nostra locutione sit causa, quo minus tardiusve quod dicimus possit intelligi.“ *Tertium* ita enunciat (c. 11): „Prorsus haec est in docendo eloquentia, qua fit docendo non ut libeat quod horrebat, aut ut fiat quod pigebat, sed ut appareat

Regnorum et Esdrae libros, totumque Evangelium et Actus apostolorum, vel, si ad verbum edidicimus, memoriter reddere, vel nostris verbis omnia, quae his continentur voluminibus, narrando evolvere et explicare; quod nec tempus capit, nec ulla necessitas postulat: sed cuncta summatim generatimque complecti, ita ut eligantur quaedam mirabiliora, quae suavius audiuntur, atque in ipsis articulis constituta sunt, ut ea tamquam in involucris ostendere, statimque a conspectu abripere non oporteat, sed aliquantum immorando quasi resolvere atque expandere, et inspicienda atque miranda offerre animis auditorum: cetera vero celeri percursione inserendo contexere. Ita et illa, quae maxime commendari volumus, aliorum submissione magis eminent; nec ad ea fatigatus pervenit, quem narrando volumus excitare: nec illius memoria confunditur, quem docendo debemus instruere.

---

quod latebat. Quod tamen si fiat insuaviter, ad paucos quidem studiosissimos suus pervenit fructus, qui ea, quae discenda sunt, quamvis abjecta inculteque dicantur, scire desiderant .... Sed quoniam inter se habent nonnullam similitudinem vescentes atque discentes, propter fastidia plurimorum etiam ipsa, sine quibus vivi non potest, alimenta condienda sunt." Alia ejusdem praecepta infra dabimus.

6. In omnibus sane non tantum nos oportet intueri praecepti finem, quod est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta (Tim. 1, 5), quo ea, quae loquimur, cuncta referamus: sed etiam illius, quem loquendo instruimus, ad id movendus atque illuc dirigendus adspectus est. Neque enim ob aliud ante adventum Domini scripta sunt omnia, quae in sanctis Scripturis legimus, nisi ut illius commendaretur adventus, et futura praesignaretur Ecclesia, id est, populus Dei per omnes gentes, quod est corpus ejus, adjunctis atque annumeratis omnibus sanctis, qui etiam ante adventum ejus in hoc seculo vixerunt, ita eum credentes venturum esse, sicut nos venisse. Sicut enim Jacob manum prius, dum nasceretur, emisit ex utero, qua etiam pedem praenascentis fratris tenebat, deinde utique secutum est caput, tum demum necessario membra cetera: sed tamen caput non tantum ea membra, quae secuta sunt, sed etiam ipsam manum quae in nascendo praecessit, dignitate ac potestate praecedit; et quamvis non tempore apparendi, tamen naturae ordine prius est: ita et Dominus Jesus Christus etsi antequam appareret in carne, et quodam modo ex utero secreti sui ad hominum oculos Mediator Dei

et hominum homo procederet, qui est super omnes Deus benedictus in secula (Rom. 9, 5), praemisit in sanctis patriarchis et prophetis quandam partem corporis sui, qua velut manu se nasciturum esse praenuncians, etiam populum praecedentem superbe vinculis legis tamquam digitis quinque supplantavit, (quia per quinque temporum articulos praenunciari venturus prophetarique non destitit; et huic rei consonans, per quem lex data est, quinque libros conscripsit: et superbi carnaliter sentientes, et suam justitatem volentes constituere (Rom. 10, 3), non aperta manu Christi repleti sunt benedictione, sed constricta atque conclusa retenti sunt: itaque illis obligati sunt pedes, et ceciderunt, nos autem surreximus et erecti sumus): quamvis ergo, ut dixi, praemiserit Dominus Christus quandam partem corporis sui in sanctis, qui eum nascendi tempore praeierunt; tamen ipse est caput corporis Ecclesiae; illique omnes eidem corpori, cujus ille caput est, cohaeserunt credendo in eum, quem praenunciabant. Non enim praecurrendo divulsi sunt, sed adjuncti potius obsequendo. Nam etsi manus a capite praemitti potest, connexio tamen ejus sub capite est. Quapropter omnia, quae ante scripta sunt, ut nos doceremur scripta sunt

(Rom. 15, 4), et figurae ut nos doceremur scripta sunt nostrae fuerunt, et in figura contigebant in eis; scripta sunt autem propter nos, in quos finis seculorum obvenit (1. Cor. 10, 11).

CAPUT IV.

Praecipua causa adventus Christi caritatis commendatio.

7. Quae autem major causa est adventus Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis, commendans eam vehementer; quia cum adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est (Rom. 5, 8). Hoc autem ideo, quia finis praecepti et plenitudo legis caritas est: ut et nos invicem diligamus, et quemadmodum ille pro nobis animam suam posuit, sic et nos pro fratribus animam ponamus (1. Joan. 3, 16): et ipsum Deum, quoniam prior dilexit nos (Ibidem 4, 10), et Filio suo unico non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum (Rom 8, 32), si amare pigebat, saltem nunc redamare non pigeat. Nulla est enim major ad amorem invitatio quam praevenire amando: et nimis durus est animus, qui dilectionem, si nolebat impendere, nolit rependere. Quod si in ipsis flagitiosis et

sordidis amoribus videmus, nihil aliud eos agere, qui amari vicissim volunt, nisi ut documentis, quibus valent, aperiant et ostendant, quantum ament, eamque imaginem justitia praetendere affectant, ut vicem sibi reddi quodam modo flagitent ab eis animis, quos illecebrare moliuntur, ipsique ardentius aestuant, cum jam moveri eodem igne etiam illas mentes, quas appetunt, sentiunt: si ergo et animus, qui torpebat, cum se amari senserit, excitatur, et qui jam fervebat, cum se redamari didicerit, magis accenditur: manifestum est, nullam esse majorem causam, qua vel inchoetur vel augeatur amor, quam cum amari se cognoscit qui nondum amat, aut redamari se vel posse sperat, vel jam probat, qui prior amat. Et si hoc etiam in turpibus amoribus, quanto plus in amicitia? Quid enim aliud cavemus in offensione amicitiae, nisi ne amicus arbitretur, quod eum vel non diligimus, vel minus diligimus, quam ipse nos diligit? Quod si crediderit, frigidior erit in eo amore, quo invicem homines mutua familiaritate perfruuntur: et si non ita est infirmus, ut haec illum offensio faciat ab omni dilectione frigescere, in ea se tenet, qua non ut fruatur, sed ut consulat, diligit. Operae pretium est autem animadvertere,

quomodo, quamquam et superiores velint se ab inferioribus diligi, eorumque in se studioso delectentur obsequio, et quanto magis id senserint, tanto magis eo diligant, tamen quanto amore exardescat inferior, cum a superiore se diligi senserit. Ibi enim gratior amor est, ubi non aestuat indigentiae siccitate, sed ubertate beneficentiae profluit. Ille namque amor ex miseria est, iste ex misericordia. Jam vero si etiam se amari posse a superiore desperabat inferior, ineffabiliter commovebitur in amorem, si ultro ille fuerit dignatus ostendere, quantum diligat eum, qui nequaquam sibi tantum bonum promittere auderet. Quid autem superius Deo judicante, et quid desperatius homine peccante, qui se tanto magis tuendum et subjugandum superbis potestatibus addixerat, quae beatificare non possunt, quanto magis desperaverat posse sui curam geri ab ea potestate, quae non malitia sublimis esse vult, sed bonitate sublimis est.

8. Si ergo maxime propterea Christus advenit, ut cognosceret homo quantum eum diligat Deus; et ideo cognosceret, ut in ejus dilectionem, a quo prior dilectus est, inardesceret, proximumque illo jubente et demonstrante diligeret, qui non proximum, sed

longe peregrinantem diligendo factus est proximus; omnisque Scriptura divina, quae ante scripta est, ad praenunciandum adventum Domini scripta est; et quidquid postea mandatum est literis et divina auctoritate firmatum, Christum narrat, et dilectionem monet: manifestum est, non tantum totam legem et prophetas in illis duobus pendere praeceptis dilectionis Dei et proximi, quae adhuc sola Scriptura sancta erat, cum hoc Dominus diceret, sed etiam quaecunque posterius salubriter conscripta sunt, memoriaeque mandata divinarum volumina literarum. Quapropter in veteri Testamento est occultatio novi, in novo Testamento est manifestatio veteris. Secundum illam occultationem carnaliter intelligentes carnales, et tunc et nunc poenali timore subjugati sunt. Secundum hanc autem manifestationem spiritales, et tunc, quibus pie pulsantibus etiam occulta patuerunt, et nunc, qui non superbe quaerunt, ne etiam aperta claudantur, spiritaliter intelligentes donata caritate liberati sunt. Quia ergo caritati nihil adversius quam invidentia; mater autem invidentiae superbia est: idem Dominus Jesus Christus, Deus homo, et divinae in nos dilectionis indicium est, et humanae apud nos humilitatis exemplum, ut

magnus tumor noster majore contraria medicina sanaretur. Magna est enim miseria superbus homo: sed major misericordia humilis Deus. Hac ergo dilectione tibi tamquam fine proposito, quo referas omnia, quae dicis, quidquid narras ita narra, ut ille, cui loqueris, audiendo credat, credendo speret, sperando amet.

CAPUT V.

Accedens ad catechismum scrutandus, quo fine velit fieri christianus.

9. De ipsa etiam severitate Dei, qua corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur, caritas aedificanda est, ut ab eo, quem timet, amari se gaudens, eum redamare audeat, ejusque in se dilectioni, etiamsi impune posset, tamen displicere vereatur. Rarissime quippe accidit, imo vero nunquam, ut quisqam veniat volens fieri christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus. Si enim aliquod commodum exspectando ab hominibus, quibus se aliter placiturum non putat, aut aliquod ab hominibus incommodum devitando, quorum offensionem aut inimicitias reformidat, vult fieri christianus; non

fieri vult potius, quam fingere. Fides enim non res est salutantis corporis, sed credentis animi. Sed plane saepe adest misericordia Dei per ministerium catechizantis, ut sermone commotus jam fieri velit, quod decreverat fingere: quod cum velle coeperit, tunc eum venisse deputemus. Et occultum quidem nobis est, quando veniat animo, quem jam corpore praesentem videmus: sed tamen sic cum eo debemus agere, ut fiat in illo haec voluntas, etiamsi non est. Nihil enim deperit, quando si est, utique tali nostra actione firmatur, quamvis quo tempore, vel qua hora coeperit, ignoremus. Utile est sane, ut praemoneamur antea, si fieri potest, ab iis, qui eum norunt, in quo statu animi sit, vel quibus causis commotus ad suscipiendam religionem venerit. Quod si defuerit alius, a quo id noverimus, etiam ipse interrogandus est, ut ex eo, quod responderit, ducamus sermonis exordium. Sed si ficto pectore accessit, humana commoda cupiens, vel incommoda fugiens, utique mentiturus est: tamen ex eo ipso, quod mentitur, capiendum est principium: non ut refellatur ejus mendacium, quasi tibi certum sit; sed ut, si dixerit, eo proposito se venisse, quod vere approbandum est, sive ille verum, sive falsum dicat, tale

tamen propositum, quali se venisse respondit, approbantes atque laudantes, faciamus eum delectari esse se talem, qualem videri cupit. Si autem aliud dixerit, quam oportet esse in animo ejus, qui christiana fide imbuendus est; blandius et lenius reprehendendo tamquam rudem et ignarum, et christianae doctrinae finem verissimum demonstrando atque laudando breviter et graviter, ne aut tempora futurae narrationis occupes, aut eam non prius collocato [1]) animo audeas imponere, facias eum velle, quod aut per errorem aut per simulationem nondum volebat.

CAPUT VI.

Exordium catechismi, et narratio ab historia creationis mundi usque ad praesens tempus Ecclesiae.

10. Quod si forte se divinitus admonitum vel territum esse responderit, ut fieret christianus, laetissimum nobis exordiendi aditum praebet, quanta Deo sit cura pro nobis. Sane ab hujusmodi miraculorum sive somniorum, ad Scripturarum solidiorem viam et oracula certiora transferenda est ejus intentio: ut et

---

[1]) Non prius collocato i. e. nondum praeparato.

illa admonitio quam misericorditer ei praerogata sit, noverit antequam Scripturis sanctis inhaereret. Et utique demonstrandum est ei, quod ipse Dominus non eum admoneret, aut compelleret fieri christianum, et incorporari Ecclesiae, seu talibus signis aut revelationibus erudiret, nisi jam praeparatum iter in Scripturis sanctis, ubi non quaereret visibilia miracula, sed invisibilia sperare consuesceret, neque dormiens, sed vigilans moneretur, eum securius et tutius carpere voluisset. Inde jam exordienda narratio est ab eo, quod fecit Deus omnia bona valde, et perducenda, ut diximus, usque ad praesentia tempora Ecclesiae: ita ut singularum rerum atque gestorum, quae narramus, causae rationesque reddantur, quibus ea referamus ad illum finem dilectionis, unde neque agentis aliquid, neque loquentis oculus avertendus est. Si enim fictas poëtarum fabulas, et ad voluptatem excogitatas animorum, quorum cibus nugae sunt, tamen boni qui habentur atque appellantur grammatici, ad aliquam utilitatem referre conantur, quamquam et ipsam vanam et avidam saginae secularis: quanto nos decet esse cautiores, ne illa, quae vera narramus, sine suarum causarum redditione digesta, aut inani suavitate,

aut etiam perniciosa cupiditate credantur. Non tamen sic asseramus has causas, ut relicto narrationis tractu, cor nostrum et lingua in nodos difficilioris disputationis excurrat; sed ipsa veritas adhibitae rationis quasi aurum sit gemmarum ordinem ligans, non tamen ornamenti seriem ulla immoderatione perturbans.

CAPUT VII.

Resurrectio, judicium, et alia quaedam post narrationem intimanda.

11. Narratione finita, spes resurrectionis intimanda est, et pro capacitate ac viribus audientis, proque ipsius temporis modulo, adversus vanas irrisiones infidelium de corporis resurrectione tractandum, et futuri ultimi judicii bonitate in bonos, severitate in malos, veritate in omnes; commemoratisque cum detestatione et horrore poenis impiorum, regnum justorum atque fidelium et superna illa civitas ejusque gaudium cum desiderio praedicandum est. Tum vero instruenda et animanda est infirmitas hominis adversus tentationes et scandala sive foris, sive in ipsa intus Ecclesia: foris adversus gentiles vel judaeos vel haereticos; intus autem ad-

versus areae dominicae paleam. Non ut contra singula perversorum genera disputetur, omnesque illorum pravae opiniones propositis quaestionibus refellantur: sed pro tempore brevi demonstrandum est, ita esse praedictum, et quae sit utilitas tentationum erudiendis fidelibus, et quae medicina in exemplo patientiae Dei, qui statuit usque in finem ista permittere. Cum vero adversus eos instruitur, quorum perversae turbae corporaliter implent ecclesias, simul etiam praecepta breviter et decenter commemorentur christianae atque honestae conversationis, ne ab ebriosis, avaris, fraudatoribus, aleatoribus, adulteris, fornicatoribus, spectaculorum amatoribus, remediorum sacrilegorum alligatoribus, praecantatoribus, mathematicis, vel quarumlibet artium vanarum et malarum divinatoribus atque hujusmodi ceteris ita facile seducatur, et impunitum sibi fore arbitretur, quia videt multos, qui christiani appellantur, haec amare, et agere, et defendere, et suadere, et persuadere. Quis enim finis praestitutus sit in tali vita perseverantibus, et quam sint in ipsa Ecclesia tolerandi, ex qua in fine separandi sunt, divinorum librorum testimoniis edocendum est. Praenunciandum est etiam, inventurum eum in Ecclesia mul-

tos christianos bonos, verissimos cives coelestis Jerusalem, si esse ipse coeperit. Ad extremum ne spes ejus in homine ponatur, sedulo monendus est; quia neque facile ab homine judicari potest, quis homo sit justus; et si facile posset, non ideo nobis proponi exempla justorum, ut ab eis justificemur, sed ut eos imitantes ab eorum justificatore nos quoque justificari sciamus. Hinc enim fiet, quod maxime commendandum est, ut cum ille, qui nos audit, imo per nos audit Deum, moribus et scientia proficere coeperit, et viam Christi alacriter ingredi, nec nobis id audeat assignare, nec sibi; sed et se ipsum, et nos, et quoscunque alios diligit amicos, in illo et propter illum diligat, qui eum dilexit inimicum, ut justificans faceret amicum. Hic jam non te puto praeceptore indigere, ut cum occupata sunt tempora vel tua, vel eorum, qui te audiunt, breviter agas; cum autem largiora, largius eloquaris: hoc enim nullo admonente ipsa necessitas praecipit.

CAPUT VIII.

Eruditi quomodo catechizandi.

12. Sed illud plane non praetereundum est, ut si ad te quisquam catechizandus ve-

8*

nerit liberalibus doctrinis excultus, qui jam decreverit esse christianus, et ideo venerit, ut fiat, difficillimum omnino est, ut non multa nostrarum Scripturarum literarumque cognoverit, quibus jam instructus ad sacramentorum participationem tantummodo venerit. Tales enim non eadem hora, qua christiani fiunt, sed ante solent omnia diligenter inquirere, et motus animi sui, cum quibus possunt, communicare atque discutere. Cum his itaque breviter agendum est, non odiose inculcando, quae norunt, sed modeste perstringendo; ita ut dicamus, nos credere, quod jam noverint illud, atque illud: atque hoc modo cursim enumerare omnia, quae rudibus indoctisque inculcanda sunt: ut et si quid novit eruditus iste, non tamquam a doctore audiat; et si quid adhuc ignorat, dum ea commemoramus, quae illum nosse jam credimus, discat. Nec ipse sane inutiliter interrogatur, quibus rebus motus sit, ut velit esse christianus: ut si libris ei persuasum esse videris, sive canonicis, sive utilium tractatorum, de his aliquid in principio loquaris, collaudans eos pro diversitate meritorum canonicae auctoritatis et exponentium sollertissimae diligentiae; maximeque commendans in Scripturis canonicis admirandae altitudinis

saluberrimam humilitatem[1]), in illis autem pro sua cujusque facultate aptum superbioribus, et per hoc infirmioribus animis, stilum sonantioris et quasi tornatioris eloquii. Sane etiam exprimendum de illo est, ut indicet quem maxime legerit, et quibus libris familiarius inhaeserit, unde illi persuasum est, ut sociari vellet Ecclesiae. Quod cum dixerit, tum, si nobis noti sunt illi libri, aut ecclesiastica fama saltem accepimus, a catholico aliquo memorabili viro esse conscriptos, laeti approbemus. Si autem in alicujus haeretici volumina incurrit, et nesciens forte quod vera fides improbat tenuit animo, et catholicum esse arbitratur, sedulo edocendus est praelata auctoritate universalis Ecclesiae

---

[1]) Conferri cum his possunt quae scribit confess. l. 3. c. 5: „Institui animum intendere in Scripturas sanctas, ut viderem quales essent. Et ecce video rem non compertam superbis neque nudatam pueris, sed incessu humilem, successu excelsam et velatam mysteriis; et non eram ego talis, ut intrare in eam possem aut inclinare cervicem ad ejus gressus. Non enim sicut modo loquor ita sensi, cum attendi ad illam Scripturam, sed visa est mihi indigna quam Tullianae dignitati compararem. Tumor enim meus refugiebat modum ejus et acies mea non penetrabat interiora ejus. Verumtamen illa erat quae cresceret cum parvulis, sed ego dedignabar esse parvulus et turgidus fastu mihi grandis videbar.“

aliorumque doctissimorum hominum et disputationibus et scriptionibus in ejus veritate florentium. Quamquam et illi, qui catholici ex hac vita emigrarunt, et aliquid literarum christianarum posteris reliquerunt in quibusdam locis opusculorum suorum vel non intellecti, vel, sicuti est humana infirmitas, minus valentes acie mentis abditiora penetrare, et veri similitudine aberrantes a veritate praesumptoribus et audacibus fuerunt occasioni ad aliquam haeresim moliendam atque gignendam. Quod mirum non est, cum de ipsis canonicis literis, ubi omnia sanissime dicta sunt, non quidem aliter accipiendo quaedam quam vel scriptor sensit, vel se ipsa veritas habet: (nam si hoc solum esset, quis non humanae infirmitati ad corrigendum paratae libenter ignosceret?) sed id, quod perverse ac prave opinati sunt, animositate acerrima et pervicaci arrogantia defensitantes, multi multa perniciosa dogmata, concisa communionis unitate, pepererunt. Haec omnia cum illo, qui ad societatem populi christiani non idiota, ut ajunt, sed doctorum libris expolitus atque excultus accedit, modesta collatione tractanda sunt: tantum assumpta praecipiendi auctoritate, ut caveat praesumptionis errores, quantum ejus humilitas, quae illum

adduxit, jam sentitur admittere. Cetera vero secundum regulas doctrinae salutaris sive de fide quaecunque narranda vel disserenda sunt, sive de moribus, sive de tentationibus eo modo percurrendo, quo dixi, ad illam supereminentiorem viam omnia referenda sunt.

CAPUT IX.

Grammatici et oratores quomodo tractandi.

13. Sunt item quidam de scholis usitatissimis grammaticorum oratorumque venientes, quos neque inter idiotas numerare audeas, neque inter illos doctissimos, quorum mens magnarum rerum est exercitata quaestionibus. His ergo, qui loquendi arte ceteris hominibus excellere videntur, cum veniunt, ut christiani fiant, hoc amplius quam illis illiteratis impertire debemus, quod sedulo monendi sunt, ut humilitate induti christiana, discant non contemnere, quos cognoverint morum vitia quam verborum amplius devitare; et cordi casto linguam exercitatam nec conferre audeant, quam etiam praeferre consueverant. Maxime autem isti docendi sunt Scripturas audire divinas, ne sordeat eis solidum eloquium, quia non est infla-

tum[1]); neque arbitrentur carnalibus integumentis involuta atque operta dicta vel facta

---

[1]) Quid de Scripturarum eloquentia tenendum sit, praeclare exponit Augustinus de doctr. christ. l. 4. c. 6. hunc in modum: „Hic aliquis forsitan quaerit, utrum auctores nostri, quorum scripta divinitus inspirata canonem nobis saluberrima auctoritate fecerunt, sapientes tantummodo, an eloquentes etiam nuncupandi sint. Quae quidem quaestio apud me ipsum et apud eos, qui mecum quod dico sentiunt, facillime solvitur. Nam ubi eos intelligo, non solum nihil eis sapientius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri potest. Et audeo dicere omnes, qui recte intelligunt quod illi loquuntur, simul intelligere, non eos aliter loqui debuisse. Sicut est enim quaedam eloquentia, quae magis aetatem juvenilem decet, est quae senilem; nec jam dicenda est eloquentia, si personae non congruat eloquentis: ita est quaedam, quae viros summa auctoritate dignissimos planeque divinos decet. Hac illi locuti sunt, nec ipsos decet alia, nec alios ipsa: ipsis enim congruit, alios autem quanto videtur humilior, tanto altius non ventositate sed soliditate transcendit. Ubi vero eos non intelligo, minus quidem mihi apparet eorum eloquentia, sed eam tamen non dubito esse talem, qualis est ubi intelligo. Ipsa quoque obscuritas divinorum salubriumque dictorum tali eloquentiae miscenda fuerat, in qua proficere noster intellectus non solum inventione, verum etiam exercitatione deberet. Possem quidem, si vacaret, omnes virtutes et ornamenta eloquentiae, de quibus inflantur isti, qui linguam suam nostrorum auctorum linguae non magnitudine, sed tumore praeponunt, ostendere in istorum

hominum, quae in illis libris leguntur, non evolvenda atque aperienda, ut intelligantur, sed sic accipienda, ut literae sonant; deque ipsa utilitate secreti, unde etiam mysteria vocantur, quid valeant aenigmatum latebrae ad amorem veritatis acuendum decutiendumque fastidii torporem [1]), ipsa experientia pro-

literis sacris, quos nobis erudiendis et ab hoc seculo pravo in beatum seculum transferendis providentia divina providit. Sed non ipsa me plus quam dici potest in illa eloquentia delectant, quae sunt his viris cum oratoribus gentilium poetisve communia: illud magis admiror et stupeo, quod ista nostra eloquentia ita usi sunt per alteram quandam eloquentiam suam, ut nec deesset eis nec emineret in eis: quia eam nec improbari ab illis, nec ostentari oportebat: quorum alterum fieret, si vitaretur; alterum putari posset, si facile agnosceretur. Et in quibus forte locis agnoscitur a doctis, tales res dicuntur, ut verba quibus dicuntur, non a dicente adhibita, sed ipsis rebus velut sponte subjuncta videantur: quasi sapientiam de domo sua, id est, pectore sapientis procedere intelligas, et tamquam inseparabilem famulam etiam non vocatam sequi eloquentiam." Adductis dein c. 7. exemplis ostendit, s. literis inesse germanam eloquentiam, quae sapientiae adhaeret velut inseparabilis comes, prolixamque disputationem concludens infert: „Quapropter et eloquentes quidem, non solum sapientes canonicos nostros auctores doctoresque fateamur, tali eloquentia, qualis personis ejusmodi congruebat."

1) „Nemo ambigit, inquit s. doctor de doctr.

bandum est talibus, cum aliquid eis, quod in promptu positum non ita movebat, enodatione allegoriae alicujus eruitur. His enim maxime utile est nosse, ita esse praeponendas verbis sententias, ut praeponitur animus corpori. Ex quo fit, ut ita malle debeant veriores quam disertiores audire sermones, sicut malle debent prudentiores quam formosiores habere amicos. Noverint etiam, non esse vocem ad aures Dei nisi animi affectum: ita enim non irridebunt, si aliquos antistites et ministros Ecclesiae forte animadverterint, vel cum barbarismis et soloecismis Deum invocare, vel eadem verba, quae pronunciant, non intelligere perturbateque distinguere. Non quia ista minime corrigenda sunt, ut populus ad id, quod plane intelligit, dicat Amen: sed tamen pie tole-

---

christ. l. 2. c. 6, et per similitudines libentius quaeque cognosci et cum aliqua difficultate quaesita multo gratius inveniri. Qui enim prorsus non inveniunt quod quaerunt, fame laborant; qui autem non quaerunt quia in promptu habent, fastidio saepe marcescunt; in utroque autem languor cavendus est. Magnifice igitur et salubriter Spiritus s. ita Scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur."

randa sunt ab eis, qui didicerint, ut sono in foro, sic voto in Ecclesia benedici. Itaque forensis illa nonnunquam forte bona dictio, nunquam tamen benedictio dici potest. De sacramento autem quod accepturi sunt, sufficit prudentioribus audire, quid res illa significet: cum tardioribus autem aliquanto pluribus verbis et similitudinibus agendum est, ne contemnant quod vident.

CAPUT X.

Jam de hilaritate comparanda. Remedium contra primam causam taedii.

14. Hic tu fortasse exemplum aliquod sermonis desideras, ut ipso tibi opere ostendam, quomodo facienda sint ista, quae monui. Quod quidem faciam, quantum Domino adjuvante potuero: sed prius de illa hilaritate comparanda, quod pollicitus sum, dicere debeo. Jam enim de ipsis praeceptis explicandi sermonis in catechizando eo, qui sic venit, ut christianus fiat, quantum satis visum est, quod promiseram exsolvi. Indebitum quippe est, ut etiam ipse faciam in hoc volumine quod fieri oportere praecipio. Si ergo fecero, ad cumulum valebit: cumulus autem quo pacto a me superfundi potest,

ante quam mensuram debiti explevero? Neque enim te maxime conqueri audivi, nisi quod tibi sermo tuus vilis abjectusque videretur, cum aliquem christiano nomine imbueres. Hoc autem scio, non tam rerum quae dicendae sunt, quibus te satis novi paratum et instructum, neque ipsius locutionis inopia, sed animi taedio fieri: vel illa causa, quam dixi, quia magis nos delectat et tenet quod in silentio mente cernimus, nec inde volumus avocari ad verborum longe disparem strepitum; vel quia etiam cum sermo jucundus est, magis nos libet audire aut legere quae melius dicta sunt, et quae sine nostra cura et sollicitudine promuntur, quam ad alienum sensum repentina verba coaptare incerto exitu, sive utrum occurrant pro sententia, sive utrum accipiantur utiliter; vel quia illa, quae rudibus insinuantur, eo quod nobis notissima sunt, et provectui nostro jam non necessaria, piget ad ea saepissime redire, nec in eis tam usitatis et tamquam infantilibus cum aliqua voluptate jam grandiusculus animus graditur. Facit etiam loquenti taedium auditor[1]), non quia humanae laudis

---

[1]) In nonnullis Mss. hic adduntur verba: immobilis vel quia non movetur affectu vel quia nullo

nos esse avidos decet, sed quia ea, quae ministramus, Dei sunt; et quanto magis diligimus eos, quibus loquimur, tanto magis eis cupimus ut placeant quae ad eorum porriguntur salutem; quod si non succedit, contristamur, et in ipso cursu debilitamur et frangimur, quasi frustra operam conteramus. Nonnunquam etiam cum avertimur ab aliqua re, quam desideramus agere, et cujus actio aut delectabat nos, aut magis nobis necessaria videbatur, et cogimur aut jussu ejus, quem offendere nolumus, aut aliquorum inevitabili instantia catechizare aliquem, jam conturbati accedimus ad negotium, cui magna tranquillitate opus est, dolentes, quod neque ordinem actionum nobis conceditur tenere, quem volumus, nec sufficere omnibus possumus: atque ita ex ipsa tristitia sermo procedens minus gratus est, quia de ariditate moestitiae minus exuberat. Aliquando item ex aliquo scandalo moeror pectus obsedit, et tunc nobis dicitur: Veni, loquere huic, christianus vult fieri. Dicitur enim ab ignorantibus quid nos clausum intus exurat: quibus si affectum nostrum aperire non opor-

---

motu corporis indicat se intelligere vel sibi placere quae dicuntur.

tet, suscipimus ingratius quod volunt: et profecto languidus et insuavis ille sermo erit per venam cordis aestuantem fumantemque trajectus. Tot igitur ex causis quaelibet earum serenitatem nostrae mentis obnubilet, secundum Deum sunt quaerenda remedia, quibus relaxetur illa contractio, et fervore spiritus exsultemus et jucundemur in tranquillitate boni operis; *Hilarem enim datorem diligit Deus* (2. Cor. 9, 17).

15. Si enim causa illa contristat, quod intellectum nostrum auditor non capit, a cujus cacumine quodammodo descendentes cogimur in syllabarum longe infra distantium tarditate demorari, et curam gerimus, quemadmodum longis et perplexis anfractibus procedat ex ore carnis, quod celerrimo haustu mentis imbibitur, et quia multum dissimiliter exit, taedet loqui, et libet tacere: cogitemus quid nobis praerogatum sit ab illo, qui demonstravit nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus (1. Petri 2, 21). Quantumvis enim differat articulata vox nostra ab intelligentiae nostrae vivacitate, longe differentior est mortalitas carnis ab aequalitate Dei. Et tamen cum in eadem *forma esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens, ... usque ad mortem crucis*

(Philip. 2, 7. 8). Quam ob causam, nisi quia factus est infirmis infirmus, ut infirmos lucrificaret (1. Cor. 9, 22)? Audi ejus imitatorem alibi etiam dicentem: *Sive enim mente excessimus, Deo; sive temperantes sumus, vobis. Caritas enim Christi compellit nos, judicantes hoc, quia unus pro omnibus mortuus est* (2. Cor. 5, 13. 14). Quomodo enim paratus esset impendi pro animabus eorum (2. Cor. 12, 15), si eum pigeret inclinari ad aures eorum? Hinc ergo factus est parvulus in medio nostrum, tamquam nutrix fovens filios suos (1. Thess. 2, 7). Num enim delectat, nisi amor invitet, decurtata et mutilata verba immurmurare? Et tamen optant homines habere infantes, quibus id exhibeant: et suavius est matri minuta mansa inspuere parvulo filio, quam ipsam mandere ac devorare grandiora. Non ergo recedat de pectore etiam cogitatio gallinae illius, quae languidulis plumis teneros fetus operit, et susurrantes pullos confracta voce advocat (Matth. 23, 37); cujus blandas alas refugientes superbi praeda fiunt alitibus. Si enim intellectus delectat in penetralibus sincerissimis, hoc etiam intelligere delectet, quomodo caritas, quanto officiosius descendit in infima, tanto robustius recurrit in intima per bonam

conscientiam nihil quaerendi ab eis, ad quos descendit, praeter eorum sempiternam salutem[1]).

---

[1]) Huc pertinent quae pluribus Augustinus disputat de perspicuitatis in dicendo studio l. 4. de doctr. christ. c. 10. ex quo nonnulla delibabimus. „Cujus evidentiae, inquit l. c., diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora, nec curat quid bene sonet, sed quid bene indicet atque intimet quod ostendere intendit. Unde ait quidem (*Cicero*, de oratore), cum de tali genere locutionis ageret, esse in ea quandam diligentem negligentiam. Haec tamen sic detrahit ornatum, ut sordes non contrahat. Quamvis in bonis doctoribus tanta docendi cura sit vel esse debeat, ut verbum, quod nisi obscurum sit vel ambiguum, latinum esse non potest, vulgi autem more sic dicitur, ut ambiguitas obscuritasque vitetur, non sic dicatur, ut a doctis sed potius ab indoctis dici solet. . . . . Quid enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis, cum loquendi omnino nulla sit causa, si quod loquimur non intelligunt, propter quos ut intelligant loquimur? Qui ergo docet, vitabit omnia verba, quae non docent; et si pro eis alia integra, quae intelligantur, potest dicere, id magis eliget: si autem non potest, sive quia non sunt, sive quia in praesentia non occurrunt, utetur etiam verbis minus integris, dum tamen res ipsa doceatur atque discatur integre." Hinc s. 37. al. 45. de div. n. 14: „Deum omnes instruantur, grammatici non timeantur." Ceterum plane gemina his, quae h. n. habet Augustinus, animarum pastoribus commendat *catechismus* concilii tridenteni (praefat. n. 18): „Neque vero cujusquam studium in docendo retardari

CAPUT XI.

Remedium contra secundam causam.

16. Si autem magis appetimus ea, quae jam parata sunt, et melius dicta legere vel audire, et ideo piget incerto exitu ad tempus coaptare, quae loquimur: tantum a veritate rerum non aberret animus, facile est, ut si in verbis auditorem aliquid offenderit, ex ipsa occasione discat, quam sit re intellecta contemnendum, si minus integre, aut si minus proprie sonare potuit, quod ideo sonabat, ut res intelligeretur. Quod si humanae infirmitatis intentio etiam ab ipsa rerum veritate aberraverit; quamquam in catechizandis rudibus, ubi via tritissima tenenda est,

---

debet, propterea quod interdum necesse sit auditorem earum rerum praeceptis instrui, quae leviores et humiliores videntur, nec sine molestia ab iis potissimum tractari solent, quorum animus in sublimium rerum contemplatione versatur ac conquiescit. Nam si ipsa aeterni Patris Sapientia in terras descendit, ut in carnis nostrae humilitate coelestis vitae praecepta nobis traderet, quem non compellat caritas Christi, ut parvulus fiat in medio fratrum suorum et tamquam nutrix fovens filios suos, ita cupide proximorum salutem desideret, ut quod de se ipso Apostolus testatur, eis velit non solum Evangelium Dei sed etiam animam tradere (1. Thess. 2, 7 s.)“

difficile potest accidere: tamen ne forte accidat, ut etiam hinc offendatur auditor, non aliunde nobis debet videri accidisse, nisi quia Deus experiri nos voluit, utrum cum mentis placiditate corrigamur, ne in defensionem nostri erroris majore praecipitemur errore. Quod si nemo nobis dixerit, nosque et illos, qui audierunt, omnino latuerit, nullus dolor est, si non fiat iterum. Plerumque autem nos ipsi recolentes quae dixerimus, reprehendimus aliquid, et ignoramus quomodo, cum diceretur, acceptum sit; magisque dolemus, quando in nobis fervet caritas, si cum falsum esset, libenter acceptum est. Ideoque opportunitate reperta, sicut nos ipsos in silentio reprehendimus, ita curandum est, ut etiam illi sensim corrigantur, qui non Dei verbis, sed plane nostris in aliquam lapsi sunt falsitatem. Si vero aliqui livore vesano coeci errasse nos gaudent, susurrones, detractores, Deo odibiles; praebeant nobis materiam exercendae patientiae cum misericordia, quia et patientia Dei ad poenitentiam eos adducit (Rom. 2, 4. 5). Quid enim est detestabilius, et quod magis thesaurizet iram in die irae et revelationis justi judicii Dei, quam de malo alterius mala diaboli similitudine atque imitatione laetari? Nonnunquam

etiam, cum recte omnia vereque dicantur, aut non intellectum aliquid, aut contra opinionem et consuetudinem veteris erroris ipsa novitate asperum offendit et perturbat audientem. Quod si apparuerit sanabilemque se praebet, auctoritatum rationumque copia sine ulla dilatione sanandus est. Si autem tacita et occulta offensio est, Dei medicina opitulari potest. At si resiluerit et curari recusaverit, consoletur nos dominicum illud exemplum, qui offensis hominibus ex verbo suo, et tamquam durum refugientibus, etiam iis qui remanserant, ait: *Numquid et vos vultis ire* (Joan. 6, 63)? Satis enim fixum atque immobili debet corde retineri, Jerusalem captivam ab hujus seculi Babylonia, decursis temporibus liberari, nullumque ex illa esse periturum: quia qui perierit, non ex illa erat. *Firmum enim fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Novit Dominus qui sunt ejus, et recedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini* (2. Tim. 2, 19). Ista cogitantes et invocantes Dominum in cor nostrum, minus timebimus, incertos exitus sermonis nostri propter incertos motus auditorum, delectabitque nos etiam ipsa perpessio molestiarum pro misericordi opere, si non in eo nostram

gloriam requiramus. Tunc enim est vere opus bonum, cum a caritate jaculatur agentis intentio, et, tamquam ad locum suum rediens, rursus in caritate requiescit. Lectio vero, quae nos delectat, aut aliqua auditio melioris eloquii, ut eam promendo sermoni nostro praeponere volentes cum pigritia vel taedio loquamur, alacriores nos suscipiet, jucundiorque praestabitur post laborem; et majore fiducia deprecabimur, ut loquatur nobis Deus, quomodo volumus[1]), si susci-

---

[1]) Hic prae oculis habeantur quae docet Augustinus (de doctr. christ. l. 4. c. 15): „Ipsa hoxa jam ut dicat accedens (orator sacer), prius quam exserat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet quod biberit vel quod impleverit fundat. Cum enim de unaquaque re, quae secundum fidem dilectionemque tractanda sunt, multa sint quae dicantur, et multi modi, quibus dicantur ab eis, qui haec sciunt; quis novit quid ad praesens tempus, vel nobis dicere vel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt? Et quis facit ut quod oportet et quemadmodum oportet, dicatur a nobis, nisi in cujus manu sunt et nos et sermones nostri? Ac per hoc discat quidem omnia, quae docenda sunt, qui et nosse vult et docere, facultatemque dicendi, ut decet virum ecclesiasticum, comparet; ad horam vero ipsius dictionis illud potius bonae menti cogitet convenire, quod Dominus ait: *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini,*

piamus hilariter, ut loquatur per nos, quomodo possumus: ita fit, ut diligentibus Deum omnia concurrant in bonum (Rom. 8, 28).

CAPUT XII.

Remedium contra tertiam causam taedii.

17. Jam vero si usitata et parvulis congruentia saepe repetere fastidimus: congruamus eis per fraternum, paternum maternumque amorem, et copulatis cordi eorum etiam nobis nova videbuntur. Tantum enim valet animi compatientis affectus, ut cum illi afficiuntur nobis loquentibus, et nos illis discentibus habitemus in invicem; atque ita et illi quae audiunt, quasi loquantur in nobis, et nos in illis discamus quodam modo quae docemus. Nonne accidere hoc solet, cum

---

sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis (Matth. 10, 19 s.). Si ergo loquitur in eis Spiritus s., qui persequentibus traduntur pro Christo, cur non et in eis, qui tradunt discentibus Christum?" Ac iterum c. 30 inculcat: „Sive autem apud populum vel apud quoslibet jamque dicturus . . . oret ut Deus sermonem bonum det in os ejus. Si enim regina oravit Esther pro suae gentis temporaria salute locutura apud regem, ut in os ejus Deus congruum sermonem daret (Est. 14, 13); quanto magis orare debet, ut tale munus accipiat qui pro aeterna hominum salute in verbo et doctrina laborat?"

loca quaedam ampla et pulcra vel urbium vel agrorum, quae jam nos saepe videndo sine aliqua voluptate praeteribamus ostendimus eis, qui antea nunquam viderant, ut nostra delectatio in eorum novitatis delectatione renovetur? Et tanto magis, quanto sunt amiciores; quia per amoris vinculum in quantum in illis sumus, in tantum et nobis nova fiunt, quae vetera fuerunt. Sed si in rebus contemplandis aliquantum profecimus, non volumus eos, quos diligimus, laetari et stupere, cum intuentur opera manuum hominum; sed volumus eos in ipsam artem consiliumve institutoris attollere, atque inde exsurgere in admirationem laudemque omnicreantis Dei, ubi amoris fructuosissimus finis est: quanto ergo magis delectari nos oportet, cum ipsum Deum jam discere homines accedunt, propter quem discenda sunt, quaecunque discenda sunt; et in eorum novitate innovari, ut si frigidior est solita nostra praedicatio, insolita eorum auditione fervescat. Huc accedit ad comparandam laetitiam, quod cogitamus et consideramus, de qua erroris morte in vitam fidei transeat homo. Et si vicos usitatissimos cum benefica hilaritate transimus, quando alicui forte, qui errando laboraverat,

demonstramus viam; quanto alacrius et cum gaudio majore in doctrina salutari etiam illa, quae propter nos retexere non opus est, perambulare debemus, cum animam miserandam et erroribus seculi fatigatam per itinera pacis, ipso, qui nobis eam praestitit, jubente, deducimus?

CAPUT XIII.

Remedium contra quartam causam fastidii.

18. Sed re vera multum est perdurare in loquendo usque ad terminum praestitum, cum moveri non videmus audientem; quod sive non audeat, religionis timore constrictus, voce aut aliquo motu corporis significare approbationem suam, sive humana verecundia reprimatur; sive dicta non intelligat sive contemnat: quando quidem nobis non cernentibus animum ejus incertum est, omnia sermone tentanda sunt, quae ad eum excitandum et tamquam de latebris eruendum possint valere. Nam et timor nimius atque impediens declarationem judicii ejus blanda exhortatione pellendus est, et insinuando fraternam societatem verecundia temperanda, et interrogatione quaerendum, utrum intelligat, et danda fiducia, ut si quid ei contradicendum videtur, libere proferat. Quaerendum etiam de illo, utrum

haec aliquando jam audierit, et fortassis eum tamquam nota et pervulgata non moveant; et agendum pro ejus responsione, ut aut planius et enodatius loquamur, aut opinionem contrariam refellamus, aut ea, quae illi nota sunt, non explicemus latius, sed breviter complicemus eligamusque aliqua ex his, quae mystice dicta sunt in sanctis libris, et maxime in ipsa narratione, quae aperiendo et revelando noster sermo dulcescat[1]). Quod si nimis tardus est, et ab omni tali suavitate absurdus et aversus, misericorditer sufferendus est, breviterque decursis ceteris, ea quae maxime necessaria sunt, de unitate Catholicae, de tentationibus, de christiana conversatione propter futurum judicium terribiliter inculcanda sunt, magisque pro illo ad Deum, quam illi de Deo multa dicenda.

19. Saepe etiam fit, ut, qui primo libenter audiebat, vel audiendo vel stando fatigatus, non jam laudans, sed oscitans labia diducat, et se abire velle etiam invitus ostendat. Quod ubi senserimus, aut renovare oportet ejus

---

[1]) Nam ut ipse ait de doctr. christ. l. 4. c. 10. n. 25: „Mox ut intellectum constiterit aut sermo finiendus aut in alia transeundum est. Sicut enim gratus est qui cognoscenda enubilat, sic onerosus est qui cognita inculcat.“

animum, dicendo aliquid honesta hilaritate conditum et aptum rei, quae agitur, vel aliquid valde mirandum et stupendum, vel etiam dolendum atque plangendum; et magis de ipso, ut propria cura punctus evigilet, quod tamen non offendat ejus verecundiam asperitate aliqua, sed potius familiaritate conciliet: aut oblata sessione succurrere; quamquam sine dubitatione melius fiat, ubi decenter fieri potest, ut a principio sedens audiat; longeque consultius in quibusdam ecclesiis transmarinis non solum antistites sedentes loquuntur ad populum, sed ipsi etiam populo sedilia subjacent, ne quisquam infirmior stando lassatus a saluberrima intentione avertatur, aut etiam cogatur abscedere. Et tamen multum interest, si se quisquam de magna multitudine subtrahat ad reparandas vires, qui jam sacramentorum societate devinctus est; et si ille discedat (quod plerumque inevitabiliter urgetur, ne interiore defectu victus etiam cadat), qui primis sacramentis imbuendus est: et pudore enim non dicit, cur eat, et imbecillitate stare non sinitur. Expertus haec dico: nam fecit hoc quidam, cum eum catechizarem, homo rusticanus, unde magnopere praecavendum esse didici. Quis enim ferat arrogantiam

nostram, cum viros fratres nostros, vel etiam quod majore sollicitudine curandum est, ut sint fratres nostri coram nobis sedere non facimus; et ipsum Dominum nostrum, cui assistunt angeli, sedens mulier audiebat (Luc. 10, 39)? Sane si aut brevis sermo futurus est, aut consessui locus non est aptus, stantes audiant; sed cum multi audiunt, et non tunc initiandi. Nam cum unus, aut duo, aut pauci, qui propterea venerunt, ut christiani fiant, periculose loquimur stantibus. Tamen si jam sic coepimus, saltem animadverso auditoris taedio et offerenda sessio est, imo vero prorsus urgendus, ut sedeat, et dicendum aliquid, quo renovetur, quo etiam cura, si qua forte irruens eum avocare coeperat, fugiat ex animo. Cum enim causae incertae sint, cur jam tacitus recuset audire, jam sedenti aliquid adversus incidentes cogitationes secularium negotiorum dicatur, aut hilari, ut dixi, aut tristi modo: ut si ipsae sunt quae mentem occupaverant, cedant quasi nominatim accusatae; si autem ipsae non sunt, et audiendo fatigatus est, cum de illis tamquam ipsae sint (quandoquidem ignoramus), inopinatum aliquid et extraordinarium eo modo, quo dixi, loquimur, a taedio renovatur intentio. Sed et breve sit,

maxime quia extra ordinem inseritur, ne morbum fastidii, cui subveniri volumus, etiam augeat ipsa medicina: et acceleranda sunt cetera, et promittendus atque exhibendus finis propinquior.

CAPUT XIV.

Remedium adversus 5. et 6. causam taedii.

20. Si autem confregit animum tuum alterius actionis, cui tamquam magis necessariae jam suspensus eras, omissio, et propterea tristis insuaviter catechizas: cogitare debes, excepto quod scimus, misericorditer nobis agendum esse, quidquid cum hominibus agimus, et ex officio sincerissimae caritatis; hoc ergo excepto, incertum esse, quid utilius agamus, et quid opportunius aut intermittamus, aut omnino omittamus. Quia enim merita hominum, pro quibus agimus, qualia sint apud Deum, non novimus, quid eis ad tempus expediat, aut nulla, aut tenuissima et incertissima conjectura suspicamur potius, quam comprehendimus. Quapropter res quidem agendas pro nostro captu ordinare debemus: quas eo modo, quo statuimus, si peragere potuerimus, non ideo gaudeamus, quia nobis, sed quia Deo sic eas agi placuit: si autem aliqua inciderit neces-

sitas, qua noster ille ordo turbetur; flectamur facile, ne frangamur; ut quem Deus nostro praeposuit, ipse sit noster. Aequius est enim, ut nos ejus, quam ut ille nostram voluntatem sequatur. Quia et ordo agendarum rerum, quem nostro arbitrio tenere volumus, ille utique approbandus est, ubi potiora praecedunt. Cur ergo nos dolemus homines a Domino Deo tanto potiore praecedi, ut eo ipso, quo nostrum amamus ordinem, inordinati esse cupiamus? Nemo enim melius ordinat, quid agat, nisi qui paratior est non agere, quod divina potestate prohibetur, quam cupidior agere, quod humana cogitatione meditatur. Quia *multae cogitationes sunt in corde viri, consilium autem Domini manet in aeternum* (Prov. 19, 21).

21. Si vero ex aliquo scandalo perturbatus animus non valet edere serenum jucundumque sermonem, tantam esse caritatem oportet in eos, pro quibus Christus mortuus est, volens eos pretio sanguinis sui ab errorum secularium morte redimere; ut hoc ipsum, quod nobis tristibus nunciatur, praesto esse aliquem, qui desideret fieri christianus, ad consolationem illius resolutionemque tristitiae valere debeat, sicut solent lucrorum gaudia dolorem lenire damnorum. Non enim

scandalum nos contristat alicujus, nisi quem perire, aut per quem perire infirmum vel credimus vel videmus. Ille igitur, qui initiandus advenit, dum speratur posse proficere, dolorem deficientis abstergat. Quia et si timor ille suggeritur, ne fiat proselytus filius gehennae (Matth. 23, 15), dum multi tales versantur ante oculos, ex quibus oriuntur ea, quibus urimur, scandala. non ad retardandos nos pertinere debet, sed magis ad excitandos et acuendos: quatenus quem imbuimus, moneamus, ut caveat imitationem eorum, qui non ipsa veritate, sed solo nomine christiani sunt; nec eorum turba commotus aut sectari velit eos, aut Christum nolit sectari propter eos; et aut nolit esse in Ecclesia Dei, ubi illi sunt, aut talis ibi velit esse, quales illi sunt. Et nescio quomodo in hujusmodi monitis ardentior sermo est, cui fomitem subministrat praesens dolor: ut non solum pigriores non simus, sed eo ipso dicamus accensius atque vehementius, quod securiores frigidius et lentius diceremus; gaudeamusque nobis occasionem dari, ubi motus animi nostri sine fructificatione non transeat.

22. Si autem de aliquo errato nostro vel peccato nos moestitudo comprehendit, non tantum meminerimus, sacrificium Deo spiri-

tum esse contribulatum (Psalm. 50, 19), sed etiam illud, *Quia sicut aqua ignem, sic eleemosyna exstinguit peccatum* (Eccl. 3, 33); et, *Quia misericordiam*, inquit, *volo quam sacrificium* (Osee. 6, 6). Sicut ergo, si periclitaremur incendio, ad aquam utique curreremus, quo posset exstingui, et gratularemur, si quis eam de proximo offerret: ita si de nostro feno aliqua peccati flamma surrexit, et propterea conturbamur, data occasione misericordissimi operis, tamquam de oblato fonte gaudeamus, ut inde illud, quod exarserat, opprimatur. Nisi forte tam stulti sumus, ut alacrius arbitremur cum pane currendum, quo ventrem esurientis impleamus, quam cum verbo Dei, quo mentem istud edentis instruamus. Huc accedit, quia si tantummodo prodesset hoc facere, non facere autem nihil obesset; infeliciter in periculo salutis, non jam proximi, sed nostrae, oblatum remedium sperneremus. Cum vero ex ore Domini tam minaciter sonet, *Serve nequam et piger, dares pecuniam meam nummulariis* (Matth. 25, 26): quae tandem dementia est, quoniam peccatum nostrum nos angit, ideo rursus velle peccare, non dando pecuniam dominicam volenti et petenti? His atque hujusmodi cogitationibus et considerationibus depulsa

caligine taediorum. ad catechizandum aptatur intentio, ut suaviter imbibatur, quod impigre atque hilariter de caritatis ubertate prorumpit. Haec enim non tam ego tibi, quam omnibus nobis dicit ipsa dilectio, quae diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qni datus est nobis (Rom. 5, 5).

CAPUT XV.

Pro personarum diversitate temperanda oratio.

23. Sed nunc etiam illud, quod prius quam promitterem, non debebam, jam fortasse debitum flagitas, ut aliquod sermonis exemplum, tamquam si ego aliquem catechizem, non me pigeat explicare, et intuendum tibi proponere. Quod prius quam faciam, volo cogites, aliam esse intentionem dictantis, cum lector futurus cogitatur; et aliam loquentis, cum praesens auditor attenditur: et in eo ipso aliam in secreto monentis, dum nullus alius, qui de nobis judicet, praesto est; aliam palam docentis aliquid, cum dissimiliter opinantium circumstat auditus: et in hoc genere aliam, cum docetur unus, ceteri autem tamquam judicantes aut attestantes quae sibi nota sunt, audiunt; aliam cum omnes communiter, quid ad eos proferamus, exspectant: et rursus in hoc ipso aliam, cum

quasi privatim consedetur, ut sermocinatio conseratur; aliam, cum populus tacens unum de loco superiore dicturum suspensus intuetur: multumque interest, et cum ita dicimus, utrum pauci adsint, an multi; docti an indocti, an ex utroque genere mixti; urbani an rustici, an hi et illi simul; an populus ex omni hominum genere temperatus sit. Fieri enim non potest, nisi aliter atque aliter afficiant locuturum atque dicturum, et ut sermo, qui profertur, affectionis animi, a quo profertur, quendam quasi vultum gerat, et pro eadem diversitate diverse afficiat auditores, cum et ipsi se ipsos diverse afficiant invicem praesentia sua. Sed quia de rudibus imbuendis nunc agimus, de me ipso tibi testis sum, aliter atque aliter me moveri, cum ante me catechizandum video eruditum, inertem, civem, peregrinum, divitem, pauperem, privatum, honoratum, in potestate aliqua constitutum, illius aut illius gentis hominem, illius aut illius aetatis aut sexus, ex illa aut illa secta, ex illo aut illo vulgari errore venientem: ac pro diversitate motus mei sermo ipse et procedit, et progreditur, et finitur. Et quia, cum eadem omnibus debeatur caritas, non eadem est omnibus adhibenda medicina: ipsa item caritas alios

parturit, cum aliis infirmatur; alios curat aedificare, alios contremiscit offendere; ad alios se inclinat, ad alios se erigit; aliis blanda, aliis severa, nulli inimica, omnibus mater. Et qui non expertus est eadem caritate quod dico, cum videt nos, quia facultas aliqua nobis donata delectat laudabiliter innotescere in ore multitudinis, inde nos beatos putat: Deus autem, in cujus conspectum intrat gemitus compeditorum (Psal. 78, 11), videat humilitatem nostram et laborem nostrum, et dimittat omnia peccata nostra (Psal. 24, 18). Quamobrem si quid tibi in nobis placuit, ut aliquam observationem sermonis tui a nobis audire quaereres, melius videndo et audiendo nos, cum haec agimus, quam legendo, cum haec dictamus, edisceres.

CAPUT XVI.

Formula orationis catechistae.

24. Sed tamen faciamus, aliquem venisse ad nos, qui vult esse christianus, et de genere quidem idiotarum, non tamen rusticanorum sed urbanorum, quales apud Carthaginem plures experiri te necesse est: interrogatum etiam, utrum propter vitae praesentis aliquod commodum, an propter requiem, quae post hanc vitam speratur, christianus esse

desiderat, propter futuram requiem respondisse, tali fortasse a nobis instrueretur alloquio: Deo gratias, frater: valde tibi gratulor, et gaudeo de te, quod in tantis ac tam periculosis hujus seculi tempestatibus de aliqua vera et certa securitate cogitasti. Nam et in hac vita homines magnis laboribus requiem quaerunt et securitatem, sed pravis cupiditatibus non inveniunt. Volunt enim requiescere in rebus inquietis et non permanentibus: et quia illae tempore subtrahuntur et transeunt, timoribus et doloribus eos agitant, nec quietos esse permittunt. Sive enim in divitiis velit homo requiescere, magis superbus efficitur, quam securus. An non videmus, quam multi eas subito perdiderint, multi etiam propter illas perierint, aut cum eas habere cupiunt, aut cum eis oppressis a cupidioribus auferuntur? Quae si etiam per totam vitam cum homine permanerent, et non desererent dilectorem suum, ipse illas sua morte desereret. Quanta est enim vita hominis, etiamsi senescat? Aut cum sibi homines optant senectutem, quid aliud optant, nisi longam infirmitatem? Sic et honores hujus seculi, quid sunt nisi typhus, et inanitas, et ruinae periculum? Quia sic Scriptura sancta dicit: *Omnis caro fenum, et claritas*

hominis ut flos feni. Fenum aruit, flos decidit: verbum autem Domini manet in aeternum (Is. 40, 6. 8.). Ideo qui veram requiem et veram felicitatem desiderat, debet tollere spem suam de rebus mortalibus et praetereuntibus, et eam collocare in verbo Domini, ut haerens ei, quod manet in aeternum, etiam ipse cum illo maneat in aeternum.

25. Sunt etiam homines, qui nec divites quaerunt esse, nec ad vanas honorum pompas ambiunt pervenire: sed gaudere et requiscere volunt in popinis et in fornicationibus, et in theatris atque spectaculis nugacitatis, quae in magnis civitatibus gratis habent. Sed sic etiam ipsi aut consumunt per luxuriam paupertatem suam, aut ab egestate postea in furta et effracturas, et aliquando etiam in latrocinia prosiliunt, et subito multis et magnis timoribus implentur; et qui in popina paulo ante cantabant, jam planctus carceris somniant. Studiis autem spectaculorum fiunt daemonibus similes, clamoribus suis incitando homines, ut se invicem caedant, secumque habeant contentiosa certamina, qui se non laeserunt, dum placere insano populo cupiunt: quos si animadverterint esse concordes, tunc eos oderunt et persequuntur, et tamquam collusores, ut fustibus verberentur,

exclamant, et hanc iniquitatem facere etiam vindicem iniquitatum judicem cogunt; si autem horrendas adversus invicem inimicitias eos exercere cognoverint, sive sintae[1]) qui appellantur, sive scenici et thymelici, sive aurigae, sive venatores, quos miseros non solum homines cum hominibus, sed etiam homines cum bestiis in certamen pugnamque committunt; quo majore adversus invicem discordia furere senserint, eo magis amant et delectantur, et incitatis favent, et faventes incitant, plus adversus se ipsos insanientes ipsi spectatores alter pro altero, quam illi, quorum insaniam insani provocant, sed insaniendo spectare desiderant. Quomodo ergo sanitatem pacis tenere animus potest, qui discordiis et certaminibus pascitur? Qualis enim cibus sumitur, talis valetudo consequitur. Postremo quamvis insana gaudia non sint gaudia, tamen qualiacunque sint, et quantumlibet delectet jactantia divitiarum, et tumor honorum, vorago popinarum, et bella

---

[1]) Lov. *sint athletae qui appellantur.* At plerinque ac melioris notae MSS. *sintae.* Vox erat forsitan apud Afros tunc vulgaris. In Corbejensi codice scribitur, *sintae.* In MSS. quibusdam et apud Am. legitur, *sint aequi appellantur.* Apud Er. *sint qui appellantur.*

theatrorum et immunditia fornicationum, et prurigo thermarum: aufert omnia ista una febricula, et adhuc viventibus totam falsam beatitudinem subtrahit; remanet inanis et saucia conscientia, Deum sensura judicem, quem noluit habere custodem; et inventura asperum Dominum, quem dulcem patrem quaerere et amare contempsit. Tu autem, quia veram requiem, quae post hanc vitam christianis promittitur, quaeris, etiam hic eam inter amarissimas vitae hujus molestias suavem jucundamque gustabis, si ejus, qui eam promisit, praecepta dilexeris. Cito enim senties, dulciores esse justitiae fructus, quam iniquitatis; et verius atque jucundius gaudere hominem de bona conscientia inter molestias, quam de mala inter delicias: quia non sic venisti conjungi Ecclesiae Dei, ut ex ea temporalem aliquam utilitatem requiras.

CAPUT XVII.

Reprehenditur, qui velit esse christianus propter commodum temporale.

26. Sunt enim qui propterea volunt esse christiani, ut aut promereantur homines, a quibus temporalia commoda exspectant, aut quia offendere nolunt, quos timent. Sed isti reprobi sunt: et si ad tempus eos portat Ec-

clesia, sicut area usque ad tempus ventilationis paleam sustinet; si non se correxerint, et propter futuram sempiternam requiem christiani esse coeperint, in fine separabuntur. Nec sibi blandiantur, quod in area possunt esse cum frumento Dei; quia in horreo cum illo non erunt, sed igni debito destinantur. Sunt etiam alii meliore quidem spe, sed tamen non minore periculo, qui jam Deum timent, et non irrident christianum nomen, nec simulato corde intrant Ecclesiam Dei, sed in ista vita exspectant felicitatem, ut feliciores sint in rebus terrenis, quam illi, qui non colunt Deum: ideoque, cum viderint quosdam sceleratos et impios ista seculi prosperitate pollere et excellere, se autem vel minus habere ista vel amittere, perturbantur, tamquam sine causa Deum colant, et facile a fide deficiunt.

27. Qui autem propter beatitudinem sempiternam et perpetuam requiem, quae post hanc vitam sanctis futura promittitur, vult fieri christianus; ut non eat in ignem aeternum cum diabolo, sed in regnum aeternum intret cum Christo, vere ipse christianus est; cautus in omni tentatione, ne prosperis rebus corrumpatur, et ne frangatur adversis, et in abundantia bonorum terre-

norum modestus et temperans, et in tribulationibus fortis et patiens. Qui etiam proficiendo perveniet ad talem animum, ut plus amet Deum, quam timeat gehennam: ut, etiamsi dicat illi Deus: Utere deliciis carnalibus sempiternis, et, quantum potes, pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, sed mecum tantummodo non eris: exhorrescat, et omnino non peccet, non jam ut in illud, quod timebat, non incidat, sed ne illum, quem sic amat, offendat: in quo uno est requies, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam praeparavit Deus diligentibus eum (1. Cor. 2, 9).

28. De qua requie significat Scriptura, et non tacet, quod ab initio mundi, ex quo fecit Deus coelum et terram et omnia, quae in eis sunt, sex diebus operatus est, et septimo die requievit. Poterat enim omnipotens et uno momento temporis omnia facere. Non autem laboraverat, ut requiesceret, quando *dixit, et facta sunt; mandavit, et creata sunt* (Psal. 148, 5): sed ut significaret, quia post sex aetates mundi hujus, septima aetate tamquam septimo die requieturus est in sanctis suis: quia ipsi in illo requiescent post omnia bona opera, in quibus ei servierunt, quae ipse in illis operatur, qui vocat, et prae-

cipit, et delicta praeterita dimittit, et justificat eum, qui prius erat impius. Sicut autem, cum illi ex dono ejus bene operantur, recte dicitur ipse operari, sic, cum in illo requiescunt, recte dicitur ipse requiescere. Nam quod ad ipsum attinet, pausationem non quaerit, quia laborem non sentit. Fecit autem omnia per Verbum suum: et Verbum ejus ipse Christus, in quo requiescunt angeli, et omnes coelestes mundissimi spiritus in sancto silentio. Homo autem peccato lapsus perdidit requiem, quam habebat in ejus divinitate, et recipit eam in ejus humanitate: ideoque opportuno tempore, quo ipse sciebat oportere fieri, homo factus et de femina natus est. A carne quippe contaminari non poterat, ipse carnem potius mundaturus. Ipsum antiqui sancti venturum in revelatione Spiritus cognoverunt, et prophetaverunt: et sic salvi facti sunt credendo, quia veniet: sicut nos salvi efficimur credendo, quia venit: ut diligeremus Deum, qui sic nos dilexit, ut unicum Filium suum mitteret, qui humilitate nostrae mortalitatis indutus, et a peccatoribus et pro peccatoribus moreretur. Jam enim olim ab ineuntibus seculis mysterii hujus altitudo praefigurari praenunciarique non cessat.

CAPUT XVIII.

De hominis et rerum aliarum creatione quid credendum.

29. Quoniam Deus omnipotens, et bonus et justus et misericors, qui fecit omnia bona, sive magna sive parva, sive summa sive infima; sive quae videntur, sicuti sunt coelum et terra et mare, et in coelo sol et luna, et cetera sidera, in terra autem et mari arbores et frutices et animalia suae cujusque naturae, et omnia corpora vel coelestia vel terrestria; sive quae non videntur, sicuti sunt spiritus, quibus corpora vegetantur et vivificantur: fecit et hominem ad imaginem suam; ut quemadmodum ipse per omnipotentiam suam praeest universae creaturae, sic homo per intelligentiam suam, qua etiam Creatorem suum cognoscit et colit, praeesset omnibus terrenis animalibus. Fecit illi etiam adjutorium feminam: non ad carnalem concupiscentiam, quando quidem nec corruptibilia corpora tunc habebant, antequam eos mortalitas invaderet, poena peccati; sed ut haberet et vir gloriam de femina, cum ei praeiret ad Deum, seque illi praeberet imitandum in sanctitate atque pietate; sicut ipse esset gloria Dei, cum ejus sapientiam sequeretur.

30. Itaque constituit eos in quodam loco perpetuae beatitudinis, quem appellat Scriptura paradisum; praeceptumque illis dedit, quod si non transgrederentur, in illa semper immortalitatis beatitudine permanerent: si autem transgrederentur, supplicia mortalitatis expenderent. Praesciebat autem Deus eos transgressuros: sed tamen quia conditor est et effector omnis boni, magis eos fecit, quando fecit et bestias, ut impleret terram bonis terrenis. Et utique melior est homo etiam peccator, quam bestia. Et praeceptum, quod non erant servaturi, magis dedit, ut essent inexcusabiles, cum in eos vindicare coepisset. Quidquid enim homo fecerit, laudabilem in suis factis invenit Deum: si recte egerit, laudabilem invenit per justitiam praemiorum: si peccaverit, laudabilem invenit per justitiam suppliciorum: si peccata confessus ad recte vivendum redierit, laudabilem invenit per misericordiam indulgentiarum. Cur ergo non faceret Deus hominem, quamvis eum peccaturum praenosceret, cum et stantem coronaret et cadentem ordinaret, et surgentem adjuvaret, semper et ubique ipse gloriosus bonitate, justitia, clementia? maxime quia et illud praesciebat, de propagine mortalitatis ejus futuros sanctos, qui non

sibi quaererent, sed Creatori suo gloriam darent, et eum colendo ab omni corruptione liberati, cum angelis sanctis semper vivere, et beate vivere mererentur? Qui enim hominibus dedit liberum arbitrium, ut non servili necessitate, sed ingenua voluntate Deum colerent, dedit etiam angelis: et ideo nec angelus, qui cum spiritibus aliis satellitibus suis superbiendo deseruit obedientiam Dei, et diabolus factus est, aliquid nocuit Deo, sed sibi. Novit enim Deus ordinare deserentes se animas[1]), et ex earum justa miseria inferiores partes creaturae sua convenientissimis et congruentissimis legibus admirandae dispensationis ornare. Itaque nec diabolus aliquid Deo nocuit, quia vel ipse lapsus est, vel hominem seduxit ad mortem: nec ipse homo in aliquo minuit veritatem, aut potestatem, aut beatitatem Conditoris sui, quia conjugi suae seductae a diabolo, ad id, quod Deus prohibuerat, propria voluntate consensit. Justissimis enim Dei legibus omnes damnati sunt, Deo glorioso per aequitatem vindictae, ipsi ignominiosi per turpitudinem

---

[1]) „Convenientius diceretur, inquit Augustinus h. l. retractans (retract. l. 2. c. 14), *se spiritus*, quoniam de angelis agebatur.“

poenae: ut et homo a suo Creatore aversus victus diabolo subderetur, et diabolus homini ad Creatorem suum converso vincendus proponeretur; ut, quicunque diabolo usque in finem consentirent, cum illo irent in aeterna supplicia; quicunque autem humiliarent se Deo, et per ejus gratiam diabolum vincerent, aeterna praemia mererentur.

CAPUT XIX.

In Ecclesiae boni et mali, et in fine separandi.

31. Neque hoc nos movere debet; quia multi diabolo consentiunt, et pauci Deum sequuntur: quia et frumentum in comparatione palearum valde pauciorem habet numerum. Sed sicut agricola novit, quid faciat de ingenti acervo paleae, sic nihil est Deo multitudo peccatorum, qui novit, quid de illis agat, ut administratio regni ejus ex nulla parte turbetur atque turpetur. Nec ideo putandus est vicisse diabolus, quia secum plures, cum quibus a paucis vinceretur, attraxit. Duae itaque civitates, una iniquorum, altera sanctorum, ab initio generis humani usque in finem seculi perducuntur, nunc permixtae corporibus, sed voluntatibus separatae, in die vero judicii etiam corpore separandae. Omnes enim homines amantes superbiam et tempo-

ralem dominationem cum vano typho et pompa arrogantiae, omnesque spiritus, qui talia diligunt, et gloriam suam subjectione hominum quaerunt, simul una societate devincti sunt; sed et si saepe adversum se pro his rebus dimicant, pari tamen pondere cupiditatis in eandem profunditatem praecipitantur, et sibi morum et meritorum similitudine conjunguntur. Et rursus omnes homines, et omnes spiritus humiliter Dei gloriam quaerentes, non suam, et eum pietate sectantes, ad unam pertinent societatem. Et tamen Deus misericordissimus, et super impios homines patiens est, et praebet eis poenitentiae atque correctionis locum.

32. Nam et quod omnes diluvio delevit, excepto uno justo cum suis, quos in arca servari voluit, noverat quidem, quod non se correcturi essent: verumtamen cum per centum annos arca fabricata est, praedicabatur utique eis ira Dei ventura super eos: et si converterentur ad Deum, parceret eis; sicut pepercit postea Ninive civitati agenti poenitentiam, cum ei per prophetam futurum interitum praenunciasset. Hoc autem facit Deus etiam illis, quos novit in malitia perseveraturos, dans poenitendi spatium, ut nostram patientiam exerceat et informet ex-

emplo suo; quo noverimus, quantum nos oporteat tolerabiliter malos sustinere, cum ignoremus, quales postea futuri sunt, quando ille parcit, et sinit eos vivere, quem nihil futurorum latet. Praenunciabatur tamen etiam diluvii sacramento, quo per lignum justi liberati sunt, futura Ecclesia, quam rex ejus et Deus Christus mysterio suae crucis ab hujus seculi submersione suspendit. Neque enim Deus ignorabat, quod etiam ex illis, qui fuerant in arca servati, nasciturі erant mali, qui faciem terrae iniquitatibus iterum implerent: sed tamen et exemplum futuri judicii dedit, et sanctorum liberationem ligni mysterio praenunciavit. Nam et post haec non cessavit repullulare malitia per superbiam et libidines et illicitas impietates, cum homines deserto Creatore suo non solum ad creaturam, quam Deus condidit, lapsi sunt, ut pro Deo colerent, quod fecit Deus; sed etiam ad opera manuum hominum, et ad fabrorum artificia curvaverunt animas suas, ubi de illis turpius diabolus et daemonia triumpharent; quae se in talibus figmentis adorari venerarique laetantur, dum errores suos humanis erroribus pascunt.

33. Neque tunc sane defuerunt justi, qui Deum pie quaererent, et superbiam diaboli

vincerent, cives illius sanctae civitatis, quos regis sui Christi ventura humilitas per Spiritum revelata sanavit. Ex quibus Abraham pius et fidelis Dei servus electus est, cui demonstraretur sacramentum Filii Dei, ut propter imitationem fidei omnes fideles omnium gentium filii ejus futuri dicerentur. Ex illo natus est populus, a quo unus Deus verus coleretur, qui fecit coelum et terram: cum ceterae gentes simulacris et daemoniis servirent. In eo plane populo multo evidentius futura Ecclesia figurata est. Erat enim ibi multitudo carnalis, quae propter visibilia beneficia colebat Deum. Erant ibi autem pauci futuram requiem cogitantes et coelestem patriam requirentes, quibus prophetando revelabatur futura humilitas Dei, regis et Domini nostri Jesu Christi, ut per eam fidem ab omni superbia et tumore sanarentur. Horum sanctorum, qui praecesserunt tempore nativitatem Domini, non solum sermo, sed etiam vita et conjugia et filii et facta prophetia fuit hujus temporis, quo per fidem passionis Christi ex gentibus congregatur Ecclesia. Per illos sanctos patriarchas et prophetas carnali populo Israel, qui postea etiam judaei appellati sunt, et visibilia beneficia ministrabantur, quae carnaliter a Domino desiderabant, et

coercitiones poenarum corporalium, quibus pro tempore terrerentur, sicut eorum duritiae congruebat. Et in his tamen omnibus mysteria spiritalia significabantur, quae ad Christum et Ecclesiam pertinerent: cujus Ecclesiae membra erant etiam illi sancti, quamvis in hac vita fuerint, ante quam secundum carnem Christus Dominus nasceretur. Ipse enim unigenitus Dei Filius, Verbum Patris, aequale et coaeternum Patri, per quod facta sunt omnia, homo propter nos factus est, ut totius Ecclesiae tamquam totius corporis caput esset. Sed velut totus homo dum nascitur, etiamsi manum in nascendo praemittat, tamen universo corpori sub capite conjuncta atque compacta est, quemadmodum etiam nonnulli in ipsis patriarchis ad hujus ipsius rei signum manu praemissa nati sunt: ita omnes sancti, qui ante Domini nostri Jesu Christi nativitatem in terris fuerunt, quamvis ante nati sunt, tamen universo corpori, cujus ille caput est, sub capite cohaeserunt.

CAPUT XX.

Israelitarum servitus in Aegypto, et liberatio viaque per mare rubrum.

34. Populus ergo ille delatus in Aegyptum, servivit regi durissimo; et gravissimis la-

boribus eruditus, quaesivit liberatorem Deum: et missus est eis unus de ipso populo, sanctus Dei servus Moyses, qui in virtute Dei magnis miraculis terrens tunc impiam gentem aegyptiorum, eduxit inde populum Dei per mare rubrum, ubi discedens aqua viam praebuit transeuntibus: aegyptii autem, cum eos persequerentur, redeuntibus in se fluctibus demersi exstincti sunt. Ita quemadmodum per diluvium aquis terra purgata est a nequitia peccatorum, qui tunc in illa inundatione deleti sunt, et justi evaserunt per lignum; sic ex Aegypto exiens populus Dei, per aquas iter invenit, quibus ipsorum hostes consumpti sunt. Nec ibi defuit ligni sacramentum. Nam virga percussit Moyses, ut illud miraculum fieret (Exodi 14, 16. 21). Utrumque signum est sancti baptismi, per quod fideles in novam vitam transeunt, peccata vero eorum tamquam inimici delentur atque moriuntur. Apertius autem Christi passio in illo populo figurata est, cum jussi sunt ovem occidere et manducare, et de sanguine ejus postes suos signare, et hoc celebrare omni anno, et appellare Pascha Domini (Ibid. 12, 3). Manifestissime quippe prophetia de Domino Jesu Christo dicit, quia *tamquam ovis ad immolandum ductus est*

(Isaiae 53, 7.) Cujus passionis et crucis signo in fronte hodie tamquam in poste signandus es, omnesque christiani signantur.

35. Inde per desertum populus ille ductus est per quadraginta annos: accepit etiam legem digito Dei scriptam, quo nomine significatur Spiritus sanctus, sicut in Evangelio manifestissime declaratur. Neque enim Deus forma corporis definitus est, nec sic in illo membra et digiti cogitandi sunt, quemadmodum videmus in nobis: sed quia per Spiritum sanctum dona Dei sanctis dividuntur, ut, cum diversa possunt, non tamen discedant a concordia caritatis, in digitis autem maxime apparet quaedam divisio, nec tamen ab unitate praecisio, sive propterea, sive propter aliam quamcunque causam Spiritus sanctus appellatus est digitus Dei, non tamen, cum hoc audimus, humani corporis forma cogitanda est. Accepit ergo ille populus legem digito Dei scriptam in tabulis sane lapideis, ad significandam duritiam cordis illorum, quod legem non erant impleturi. Corporalia quippe dona desiderantes a Domino, magis carnali timore, quam spiritali caritate tenebantur: legem autem non implet nisi caritas. Ideo multis sacramentis visibilibus onerati sunt, quo servili jugo pre-

merentur in observationibus ciborum et in sacrificiis animalium, et in aliis innumerabilibus: quae tamen signa erant rerum spiritalium ad Dominum Jesum Christum et ad Ecclesiam pertinentium; quae tunc a paucis sanctis et intelligebantur ad fructum salutis, et observabantur ad congruentiam temporis, a multitudine vero carnalium tantummodo observabantur, non intelligebantur.

36. Per multa itaque et varia signa rerum futurarum, quas longum est omnes commemorare, et eas nunc in Ecclesia videmus impleri, perductus est ille populus ad terram promissionis, ubi temporaliter carnaliterque regnaret pro modo desiderii sui: quod tamen regnum terrenum regni spiritalis imaginem gessit. Ibi Jerusalem condita est, famosissima civitas Dei, serviens in signo liberae civitatis, quae coelestis Jerusalem dicitur (Gal. 4, 26), quod verbum est hebraeum, et interpretatur visio pacis. Cujus cives sunt omnes sanctificati homines, qui fuerunt, et qui sunt, et qui futuri sunt; et omnes sanctificati spiritus, etiam quicunque in excelsis coelorum partibus pia devotione obtemperant Deo, nec imitantur impiam diaboli superbiam et angelorum ejus. Hujus civitatis rex est Dominus Jesus Christus, Verbum Dei, quo regun-

tur summi angeli, et Verbum hominem assumens, ut eo regerentur et homines, qui simul omnes cum illo in aeterna pace regnabunt. Ad hujus regis praefigurationem in illo terreno regno populi Israel maxime eminuit rex David (1. Reg. 16, 13), de cujus semine secundum carnem veniret verissimus rex noster Dominus Jesus Christus, *qui est super omnia Deus benedictus in secula* (Rom. 9, 5). Multa in illa terra promissionis gesta sunt in figuram venturi Christi et Ecclesiae, quae in sanctis libris paulatim discere poteris.

CAPUT XXI.

Captivitas babylonica, et in ea gesta quid significent.

37. Post aliquot tamen generationes ostendit alium typum ad rem maxime pertinentem. Nam captivata est illa civitas, et multa pars ejus educta in Babyloniam. Sicut autem Jerusalem significat civitatem societatemque sanctorum, sic Babylonia significat civitatem societatemque iniquorum, quoniam dicitur interpretari confusio. De quibus duabus civitatibus ab exordio generis humani usque in finem seculi permixte temporum varietate currentibus, et ultimo judicio separandis, paulo ante jam diximus (Cap. 19). Illa ergo ca-

ptivitas Jerusalem civitatis, et ille populus in Babyloniam ductus ad servitutem ire jubetur a Domino per Jeremiam (Jerem. 25, 21. 29; 1). illius temporis prophetam. Et exstiterunt reges Babyloniae, sub quibus illi serviebant, qui ex eorum occasione commoti quibusdam miraculis cognoscerent et colerent et co[illegible] juberent unum verum Deum, qui condidit universam creaturam. Jussi sunt autem et orare pro eis, a quibus captivi tenebantur, et in eorum pace pacem sperare, ad gignendos filios et domos aedificandas et plantandos hortos et vineas (Jerem. 29, 7). Post septuaginta autem annos promittitur eis ab illa captivitate liberatio. Hoc autem totum figurate significabat Ecclesiam Christi in omnibus sanctis ejus, qui sunt cives Jerusalem coelestis, servituram fuisse sub regibus hujus seculi. Dicit enim et apostolica doctrina, ut *omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*: et ut *reddantur omnibus omnia, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal* (Rom. 13, 1. 7); et cetera, quae salvo Dei nostri cultu, constitutionis humanae principibus reddimus; quando et ipse Dominus, ut nobis hujus sanae doctrinae praeberet exemplum, pro capite hominis, quo erat indutus, tributum solvere non dedignatus est

(Math. 17, 27). Jubentur autem etiam servi christiani et boni fideles dominis suis temporalibus aequanimiter fideliterque servire (Ephes. 6, 5); quos judicaturi sunt, si usque in finem iniquos invenerint, aut cum quibus aequaliter regnaturi sunt, si et illi ad verum Deum conversi fuerint. Omnibus tamen praecipitur, servire humanis potestatibus atque terrenis, quo usque post tempus praefinitum, quod significant septuaginta anni, ab istius seculi confusione tamquam de captivitate Babyloniae, sicut Jerusalem liberetur Ecclesia. Ex cujus captivitatis occasione ipsi etiam terreni reges desertis idolis, pro quibus persequebantur christianos, unum verum Deum et Christum Dominum cognoverunt, et colunt, pro quibus apostolus Paulus jubet orari etiam cum persequerentur Ecclesiam. Sic enim dicit: *Obsecro itaque primum fieri deprecationes, adorationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro regibus, pro omnibus hominibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut securam et tranquillam vitam agamus cum omni pietate et caritate* (1. Tim. 2, 1. 2). Itaque per ipsos data pax est Ecclesiae, quamvis temporalis, tranquillitas temporalis ad aedificandas spiritaliter domos et plantandos hortos et

vineas. Nam et ecce te modo per istum sermonem aedificamus atque plantamus. Et hoc fit per totum orbem terrarum cum pace regum christianorum, sicut idem dicit Apostolus: *Dei agricultura, Dei aedificatio estis* (1. Cor. 3, 9).

38. Et post annos quidem septuaginta, quos mystice prophetaverat Jeremias (Jerem. 25, 12. et 29, 10), ut finem temporum praefiguraret, tamen, ut ipsa figura integraretur, facta est in Jerusalem restitutio aedificationis templi Dei; sed quia totum figurate agebatur, non erat firma pax ac libertas reddita judaeis. Itaque postea a romanis victi sunt et tributarii facti. Ex illo sane tempore, ex quo terram promissionis acceperunt, et reges habere coeperunt, ne in aliquo regum suorum completum esse arbitrarentur, quod eis liberator Christus promittebatur, apertius per multas prophetias prophetatus est Christus, non solum ab ipso David in libro Psalmorum, sed etiam a ceteris et magnis et sanctis prophetis, usque ad tempus captivitatis in Babyloniam: et in ipsa captivitate fuerunt prophetae, qui venturum Dominum Jesum Christum liberatorem omnium prophetarent. Et posteaquam templum transactis septuaginta annis restitutum est, tantas pressuras

et calamitates a regibus gentium judaei perpessi sunt, ut intelligerent, nondem venisse liberatorem, quem non spiritaliter liberaturum intelligebant, sed pro liberatione carnali desiderabant.

CAPUT XXII.

Aetates mundi sex.

39. Peractis ergo quinque aetatibus seculi, quarum prima est ab initio geneiis humani, id est, ab Adam, qui primus homo factus est, usque ad Noe, qui fecit arcam in diluvio, inde secunda est usque ad Abraham, qui qater dictus est omnium quidem gentium, puae fidem ipsius imitarentur; sed tamen ex propagine carnis suae futuri populi judaeorum: qui ante fidem christianam gentium, unus inter omnes omnium terrarum populus unum verum Deum coluit, ex quo populo salvator Christus secundum carnem veniret. Isti enim articuli duarum aetatum eminent in veteribus libris: reliquarum autem trium in Evangelio etiam declarantur, cum carnalis origo Domini Jesu Christi commemoratur (Matth. 1, 17). Nam tertia est ab Abraham usque ad David regem: quarta a David usque ad illam captivitatem, qua populus Dei in Babyloniam transmigravit: quinta ab illa

transmigratione usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi; ex cujus adventu sexta aetas agitur: ut jam spiritalis gratia, quae paucis tunc patriarchis et prophetis nota erat, manifestaretur omnibus gentibus: ne quisquam Deum nisi gratis coleret, non visibilia praemia servitutis suae et praesentis vitae felicitatem, sed solam vitam aeternam, in qua ipso Deo frueretur, ab illo desiderans; ut hac sexta aetate mens humana renovetur ad imaginem Dei, sicut (Gen. 1, 27.) sexta die homo factus est ad imaginem Dei. Tunc enim et lex impletur, dum non cupiditate rerum temporalium, sed caritate illius, qui praecepit, fiunt, quaecunque praecepit. Quis autem non redamare affectet justissimum et misericordissimum Deum, qui prior sic amavit injustissimos et superbissimos homines, ut propter eos mitteret unicum Filium, per quem fecit omnia, qui non sui mutatione, sed hominis assumptione homo factus, non solum cum eis vivere, sed etiam pro eis et ab eis posset occidi?

40. Itaque novum Testamentum hereditatis sempiternae manifestans, in quo renovatus homo per gratiam Dei ageret novam vitam, hoc est, vitam spiritalem; ut vetus ostenderet primum, in quo carnalis populus

agens veterem hominem, exceptis paucis intelligentibus patriarchis et prophetis, et nonnullis latentibus sanctis, carnaliter vivens carnalia praemia desiderabat a Domino Deo, et in figura spiritalium bonorum accipiebat: omnia ergo bona terrena contempsit homo factus Dominus Christus, ut contemnenda monstraret; et omnia terrena sustinuit mala, quae sustinenda praecipiebat: ut neque in illis quaereretur felicitas, neque in istis infelicitas timeretur. Natus enim de matre, quae quamvis a viro intacta conceperit, semperque intacta permanserit, virgo concipiens, virgo pariens, virgo moriens, tamen fabro desponsata erat, omnem typhum carnalis nobilitatis exstinxit. Natus etiam in civitate Bethlehem, quae inter omnes Judaeae civitates ita erat exigua, ut hodieque villa appelletur, noluit quemquam de cujusquam terrenae civitatis sublimitate gloriari. Pauper etiam factus est, cujus sunt omnia, et per quem creata sunt omnia, ne quisquam, cum in eum crederet, de terrenis divitiis auderet extolli. Noluit rex ab hominibus fieri; quia humilitatis ostendebat viam miseris, quos ab eo superbia separaverat: quamvis sempiternum ejus regnum universa creatura testetur. Esurivit, qui omnes pascit: sitivit, per

quem creatur omnis potus, et qui spiritaliter panis est esurientium fonsque sitientium: ab itinere terrestri fatigatus est, qui se ipsum nobis viam fecit in coelum: velut obmutuit et obsurduit coram conviciantibus, per quem mutus locutus est, et surdus audivit: vinctus est, qui de infirmitatum vinculis solvit: flagellatus est, qui omnium dolorum flagella de hominum corporibus expulit; crucifixus est, qui cruciatus nostros finivit: mortuus est, qui mortuos suscitavit. Sed et resurrexit nunquam moriturus, ne ab illo quisquam sic disceret mortem contemnere, quasi nunquam victurus.

CAPUT XXIII.

Spiritus sanctus die 50. post resurrectionem Christi missus.

41. Inde confirmatis discipulis, conversatus cum eis quadraginta diebus, eisdem spectantibus ascendit in coelum; et completis a resurrectione quinquaginta diebus misit eis Spiritum sanctum (promiserat enim), per quem, diffusa caritate in cordibus eorum, non solum sine onere, sed etiam cum jucunditate legem possent implere; quae data est judaeis in decem praeceptis, quod appellant decalogum; quae rursus ad duo rediguntur, ut di-

ligamus Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente; et diligamus proximum sicut nos ipsos. Nam in his duobus praeceptis totam legem prophetasque pendere, ipse Dominus et dixit in Evangelio (Matth. 22, 37 ss.), et suo manifestavit exemplo. Nam et populus Israel ex die, quo primum pascha in imagine celebrarunt ovem occidentes et manducantes, cujus sanguine postes eorum ad salutis tutelam signati sunt; ex ipso ergo die quinquagesimus dies impletus est, et legem acceperunt scriptam digito Dei, quo nomine jam diximus significari Spiritum sanctum: sicut post Domini passionem et resurrectionem, quod est verum pascha, quinquagesimo die ipse Spiritus sanctus discipulis missus est: non jam lapideis tabulis corda dura significans; sed cum essent unum in locum congregati in ipsa Jerusalem (Act. 2, 1 etc.), factus est subito de coelo sonus, quasi ferretur flatus vehemens, et visae sunt illis linguae divisae quasi ignis, et coeperunt linguis loqui, ita ut omnes, qui ad illos venerant, suam linguam quisque cognosceret (ad illam enim civitatem ex omni terra conveniebant judaei, quacunque dispersi erant, et diversas linguas gentium diversarum didicerant): deinde cum tota fiducia Christum

praedicantes, in ejus nomine multa signa faciebant, ita ut quendam mortuorum transeunte Petro umbra ejus tetigerit, et resurrexerit.

42. Sed cum viderent judaei, tanta signa fieri in ejus nomine, quem partim per invidiam, partim per errorem crucifixerunt, alii irritati sunt ad persequendos praedicatores ejus apostolos, alii vero idipsum amplius admirantes, quod in ejus nomine, quem veluti a se oppressum et victum riserant, tanta miracula fierent, poenitendo conversi crediderunt in eum millia judaeorum. Non erant jam illi temporalia beneficia terrenumque regnum desiderantes a Deo, nec promissum regem Christum carnaliter exspectantes; sed immortaliter intelligentes et diligentes eum; qui pro ipsis ab ipsis tanta mortaliter pertulit, et eis usque ad sui sanguinis peccata donavit, et immortalitatem a se sperandam et desiderandam exemplo suae resurrectionis ostendit. Itaque jam veteris hominis terrena desideria mortificantes, et spiritalis vitae novitate flagrantes, sicut praeceperat in Evangelio Dominus, vendebant omnia, quae habebant, et pretia rerum suarum ante pedes apostolorum ponebant, ut ipsi distribuerent unicuique, sicut cuique opus erat: viventes-

que in christiana dilectione concorditer, non dicebant aliquid suum, sed erant illis omnia communia, et anima et cor unum in Deum (Act. 2, 41; 4, 34). Deinde etiam ipsi a judaeis carnalibus civibus carnis suae persecutionem passi atque dispersi sunt, ut latius Christus eorum dispersione praedicaretur, et imitarentur etiam ipsi patientiam Domini sui: quia, qui eos mansuetus passus fuerat, mansuefactos pro se pati jubebat.

43. Ex ipsis sanctorum persecutoribus fuerat etiam apostolus Paulus, et in christianos maxime saeviebat: sed postea credens, et apostolus factus, missus est, ut gentibus Evangelium praedicaret, graviora perpessus pro nomine Christi, quam fecerat contra nomen Christi, Ecclesias autem constituens per omnes gentes, qua Evangelium seminabat, impense praecipiebat, ut, quoniam ipsi ex idolorum cultu venientes, et ad unum Deum colendum rudes, non facile poterant rebus suis venditis et distributis servire Deo, oblationes facerent in pauperes sanctorum; qui erant in ecclesiis Judaeae, quae Christo crediderant: ita illos tamquam milites, illos autem tamquam stipendiarios provinciales apostolica doctrina constituit; inserens eis Christum velut lapidem angularem, sicut per

prophetam praenunciatus erat (Isai 28, 16), in quo ambo quasi parietes de diverso venientes, de judaeis videlicet atque gentibus, germana caritate copularentur. Sed postea graviores et crebriores persecutiones ex incredulis gentibus adversus Christi Ecclesiam surrexerunt, et implebatur in dies singulos verbum Domini praedicentis, *Ecce ego mitto vos velut oves in medio luporum* (Matth. 10. 16).

CAPUT XXIV.

Ecclesia quasi vitis pullulat, et putatur.

44. Sed illa vitis, quae per orbem terrarum, sicut de illa prophetatum, et ab ipso Domino praenunciatum erat, fructuosos palmites diffundebat, tanto pullulabat amplius quanto uberiore martyrum sanguine rigabatur. Quibus per omnes terras innumerabiliter pro fidei veritate morientibus, etiam ipsa persequentia regna cesserunt, et ad Christum cognoscendum atque venerandum fracta superbiae cervice conversa sunt. Oportebat autem, ut eadem vitis, sicut a Domino idemtidem praedictum erat, putaretur, et ex ea praeciderentur infructuosa sarmenta, quibus haereses et schismata per loca facta

sunt, sub Christi nomine, non ipsius gloriam, sed suam quaerentium, per quorum adversitates magis magisque exerceretur Ecclesia, et probaretur atque illustraretur et doctrina ejus et patientia[1]).

45. Omnia ergo haec, sicut tanto ante praedicta legimus, sic et facta cognoscimus: et quemadmodum primi christiani, quia nondum ista provenisse videbant, miraculis movebantur, ut crederent; sic nos quia omnia ista ita completa sunt, sicut ea in libris legimus, qui longe ante, quam haec implerentur conscripti sunt, ubi omnia futura dicebantur, et praesentia jam videntur, aedificamur ad fidem, ut etiam illa, quae restant, sustinentes et perseverantes in Domino, sine dubitatione ventura credamus[2]). Si quidem adhuc tribulationes futurae in eisdem Scripturis leguntur, et ipse ultimus judicii dies, ubi omnes

---

[1]) Haec pluribus illustravimus in diss. Martyrum sanguis vox veritatis n. 22. (Opusc. t. 4. p. 177 ss.)

[2]) Quae hic s. doctor paucis indicat, eloquenter admodum et fuse exponit in l. de fide rerum, quae non videntur cc. 4, 5. (Opusc. t. 6. p. 104 ss.), passimque in suis operibus ad hoc argumentum ex vaticiniis temporum lapsu completis deductum provocat. Cf. infra c. 27. et s. 22. al. 109. de temp. n. 4; s. 110. al. 31. de verb. Dom. n. 4.

cives ambarum illarum civitatum receptis corporibus surrecturi sunt, et rationem vitae suae ante tribunal Christi judicis reddituri. Veniet enim in claritate potestatis, qui prius in humilitate humanitatis venire dignatus est; et omnes pios ab impiis segregabit: non tantum eis, qui in eum credere omnino noluerunt, sed etiam eis, qui frustra et infructuose crediderunt in eum; illis daturus regnum secum aeternum, illis autem poenam aeternam cum diabolo. Sed sicut nullum gaudium rerum temporalium ex aliqua parte simile potest inveniri gaudio vitae aeternae, quam sancti accepturi sunt: ita nullus cruciatus poenarum temporalium potest sempiternis iniquorum cruciatibus comparari.

CAPUT XXV.

Fides resurrectionis suadetur.

46. Itaque frater confirma te ipsum in ejus nomine atque adjutorio, cui credis, adversus linguas eorum, qui fidem nostram irrident, de quibus diabolus seductoria verba loquitur, maxime volens irridere fidem resurrectionis. Sed ex te ipso crede, futurum te esse, cum fueris, quando, cum ante non fueris, nunc esse te vides. Ubi enim erat ista moles corporis tui et ista forma membrorumque

compago ante paucos annos, prius quam natus, vel etiam prius quam in matris utero conceptus esses, ubi erat haec moles et haec statura corporis tui? Nonne de occultis hujus creaturae secretis, Domino Deo invisibiliter formante, processit in lucem, certisque aetatum incrementis in istam magnitudinem formamque surrexit? Numquid ergo difficile est Deo, qui etiam aggeres nubium ex occulto in momento contrahit, et contegit coelum in ictu temporis, reddere istam quantitatem corporis tui, sicut erat, qui eam facere potuit, sicut non erat? Crede ergo fortiter et inconcusse, quia omnia, quae videntur quasi pereundo humanis oculis subtrahi, salva et integra sunt omnipotentiae Dei: qui ea, cum voluerit, sine ulla mora et difficultate reparabit, ea dumtaxat, quae justitia ejus reparanda esse judicat: ut in his corporibus reddant homines factorum suorum rationem, in quibus ea fecerunt; et in his mereantur aut commutationem coelestis incorruptionis pro meritis pietatis, aut corruptibilem corporis conditionem pro meritis iniquitatis, non quae morte solvatur, sed quae materiam sempiternis doloribus praebeat.

47. Fuge ergo per immobilem fidem et mores bonos, fuge, frater, illa tormenta, ubi

nec tortores deficiunt, nec torti moriuntur; quibus sine fine mors est, non posse in cruciatibus mori. Et exardesce amore atque desiderio sempiternae vitae sanctorum, ubi nec operosa erit actio, nec requies desidiosa: laus erit Dei sine fastidio, sine defectu: nullum in animo taedium, nullus labor in corpore; nulla indigentia, nec tua, cui subveniri desideres, nec proximi, cui subvenire festines. Omnes deliciae Deus erit et satietas sanctae civitatis in illo et de illo sapienter beateque viventis. Efficiemur enim, sicut ab illo promissum speramus et exspectamus, aequales angelis Dei (Lucae 20, 36.) et cum eis pariter illa Trinitate perfruemur jam per speciem, in qua nunc per fidem ambulamus. (2. Cor. 5, 7) Credimus enim quod non videmus, ut ipsis meritis fidei etiam videre quod credimus, et inhaerere mereamur: ut aequalitatem Patris et Filii et Spiritus sancti, et ipsius Trinitatis unitatem, quomodo sint haec tria unus Deus, non jam verbis fidei et strepentibus syllabis personemus, sed contemplatione purissima et ardentissima in illo silentio sorbeamus.

48. Haec tene fixa in corde tuo, et invoca Deum, cui credis, ut tueatur te adversus tentationes diaboli: et esto cautus, ne tibi

aliunde hostis ille subrepat, qui ad solatium malevolentissimum damnationis suae, cum quibus damnetur, inquirit. Non enim per eos solos, qui christianum nomen oderunt, et dolent, eo nomine occupatum esse orbem terrarum, et adhuc simulacris et daemoniorum curiositatibus servire desiderant, audet ille tentare christianos: sed etiam per eos, quos paulo ante commemoravimus, de unitate Ecclesiae, velut putata vite, praecisos, qui haeretici vel schismatici dicuntur, conatur etiam id quidem interdum. Sed tamen id etiam aliquando conatur et per judaeos tentare atque seducere. Sed maxime cavendum est, ne per homines, qui sunt in ipsa catholica Ecclesia, quos velut paleam usque ad tempus ventilationis suae sustinet, unusquisque tentetur et decipiatur. Propterea enim Deus patiens est in illos, ut et suorum electorum fidem atque prudentiam per illorum perversitaem exercendo confirmet; et quia de numero eorum multi proficiunt, et ad placendum Deo miserati animas suas, magno impetu convertuntur. Non enim omnes sibi per patientiam Dei thesaurizant iram in die irae justi judicii ejus (Rom. 2, 5): sed multos eadem omnipotentis patientia perducit ad saluberrimum poenitentiae dolorem. Quod

donec fiat, exercetur per eos illorum, qui jam rectam viam tenent, non solum tolerantia, sed etiam misericordia. Multos ergo visurus es ebriosos, avaros, fraudatores, aleatores, adulteros, fornicatores, remedia sacrilega sibi alligantes, praecantatoribus et mathematicis[1]) vel quarumlibet impiarum artium divinatoribus deditos. Animadversurus etiam, quod illae turbae impleant ecclesias per dies festos christianorum, quae implent et theatra per dies sollemnes paganorum; et haec videndo ad imitandum tentaberis. Et quid dicam, videbis, quod etiam nunc jam utique nosti: non enim nescis, multos, qui appellantur christiani, haec omnia mala operari, quae breviter commemoravi. Et aliquando fortasse graviora facere homines non ignoras, quos nosti appellari christianos. Sed si hoc animo venisti, ut quasi securus talia facias, multum erras: nec tibi proderit nomen Christi, cum coeperit ille severissime judicare, qui prius dignatus est misericordissime subvenire. Praedixit enim ista, et ait in Evangelio:

---

[1]) *Mathematici* vulgo dicebantur astrologi seu potius genethliaci, qui ex positione stellarum futuras hominum actiones et fata cognoscere se posse inaniter jactabant et hinc illa praedicebant. Contra hos passim disputat Augustinus eorumque scientiae vanitatem detegit. Cf. de doctr. christ. l. 2. c. 21 ss.

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum, sed is, qui facit voluntatem Patris mei. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, in nomine tuo manducavimus et bibimus (Matth. 7, 21. 22). Omnibus ergo, qui in talibus operibus perseverant, damnatio finis est. Cum ergo videris multos non solum haec facere, sed etiam defendere atque suadere, tene te ad legem Dei, et non sequaris praevaricatores ejus. Non enim secundum illorum sensum, sed secundum illius veritatem judicaberis.

49. Conjungere bonis, quos vides amare tecum regem tuum. Multos enim inventurus es, si et tu talis esse coeperis. Nam si in spectaculis cum illis esse cupiebas et eis inhaerere, qui tecum vel aurigam, vel venatorem, vel aliquem histrionem simul amabant; quanto magis te delectare debet eorum conjunctio, qui tecum amant Deum, de quo nunquam erubescet amator ejus, quia non solum ipse non potest vinci, sed etiam dilectores suos reddet invictos. Nec tamen etiam in ipsis bonis, qui te vel praecedunt, vel tibi comitantur ad Deum, spem tuam collocare debes, quia nec in te ipso debes, quantumcunque profeceris, sed in illo, qui eos et te justificando tales facit. Securus es enim de

Deo, quia non mutatur: de homine autem nemo prudenter securus est. Sed si illos, qui nondum justi sunt, amare debemus, ut sint, quanto ardentius, qui jam sunt, amandi sunt. Sed aliud est diligere hominem, aliud spem ponere in homine; tantumque interest, ut illud Deus jubeat, hoc prohibeat. Si autem aliquas vel insultationes vel tribulationes pro nomine Christi passus non defeceris a fide, nec a bona via deviaveris, majorem mercedem accepturus es: qui autem in his diabolo cesserint, etiam minorem perdunt. Sed humilis esto Deo, ut non te permittat tentari ultra vires tuas.

CAPUT XXVI.

Initiatio catechumeni, cum expositione signorum.

50. His dictis interrogandus est, an haec credat, atque observare desideret. Quod cum responderit, solemniter utique signandus est, et Ecclesiae more tractandus. De sacramento [1]) sane quod accipit, cum ei bene com-

[1]) Agit hic s. doctor de signo crucis deque sacramento salis, quibus catechumeni initiabantur. Hinc de se refert, cum morbo pressus baptismum flagitaret (Confess. l. 1. c. 11): „Et signabar jam signo crucis ejus, et condiebar ejus sale jam inde ab utero matris meae.“ De signo crucis mentio fit in serm.

mendatum fuerit, signacula quidem rerum divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis honorari; nec sic habendam

---

2. de symb. ad catech. (inter op. Aug. Patrol. Migne 40, 637. qui tamen sermo dubius est), n. 1. ubi haec. legimus: „Nondum quidem adhuc per sacrum baptismum renati estis, sed per crucis signum in utero sanctae matris Ecclesiae jam concepti estis.“ Quibus similia sunt haec ex s. 4. n. 1: „Per sacratissimum crucis signum vos suscepit in utero sancta mater Ecclesia etc.“ Hinc illustrantur illa Augustini verba tract. 11. in Joan. n. 3: „Ipsis ergo se credit Jesus, qui nati fuerint denuo. Ecce illi (judaei) crediderant in eum et *Jesus non se credebat eis* (Joan. 2, 24). Tales sunt omnes catechumeni: ipsi jam credunt in nomine Christi, sed Jesus non se credit eis. Intendat et intelligat caritas vestra. Si dixerimus catechumeno, Credis in Christum? respondet: Credo et *signat se*: jam crucem Christi portat in fronte, et non erubescit de cruce Domini sui. Ecce credidit in nomine ejus. Interrogemus eum: Manducas carnem filii hominis et bibis sanguinem filii hominis? nescit quid dicimus, quia Jesus non se credidit ei.“ Cf. quoque s. 37 in app. al. 197 de temp. n. 8. Salis vero mentio occurrit in Conc. carthag. III. a. 397. can. 5. „Item placuit, ut etiam per solemnissimos paschales dies sacramentum catechumenis non detur, nisi *solitum sal:* quia si fideles per illos dies sacramentum non mutant, nec catechumenis oportet mutare.“ De hoc videtur etiam loqui s. Augustinus de pecc. meritis et remiss. l. 2. c. 26: „Non unius modi est sanctificatio; nam et catechumenos secundum quendam modum suum per signum Christi

esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in usu quolibet: dicendum etiam, quid significet et sermo ille, quem audivit, quid in illo condiat, cujus illa res similitudinem gerit. Deinde monendus est ex hac occasione, ut, si quid etiam in Scripturis audiat, quod carnaliter sonet, etiamsi non intelligit, credat tamen spiritale aliquid significari, quod ad sanctos mores futuramque vitam pertineat. Hoc autem ita breviter discit, ut quidquid audierit ex libris canonicis, quod ad dilectionem aeternitatis et veritatis et sanctitatis, et ad dilectionem proximi referre non possit, figurate dictum vel gestum esse credat; atque ita conetur intelligere, ut ad illam geminam referat di-

---

et orationem manus impostionis puto sanctificari, et quod accipiunt (scil. sal), quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen et sanctius quam cibi, quibus alimur, quoniam sacramentum (sensu scil. latiori) est.‹ Hujus ritus rationem reddit *Isidorus* hisp. de divinis officiis l. 2. c. 21: „Sales autem in mysterio catechumenis dandos a patribus ideo est institutus, ut eorum gustu condimentum sapientiae percipiant, neque desipiant a sapore Christi; nec sint fatui et retro respiciant, sicut uxor Loth: ne malum exomplum dantes ipsi remaneant, ut alios condiant, quemadmodum illa, quae cum liberaretur a Sodomis, in via posita retro respexit, ibique remansit statua salis etc.

lectionem[1]). Ita sane ut proximum non carnaliter intelligat, sed omnem, qui cum eo in illa sancta civitate potest esse, sive jam sive nondum appareat: et ut de nullius hominis correctione desperet, quem patientia Dei videt vivere, non ob aliud, sicut Apostolus ait (Rom. 2, 4), nisi ut adducatur ad poenitentiam.

51. Si longus tibi videtur iste sermo, quo tamquam praesentem rudem hominem instruxi, licet ea tibi dicere brevius, longiorem tamen esse debere non puto: quamquam

---

[1]) Omnia in explicandis divinis libris ad geminam dilectiouem referenda esse, passim in suis operibus inculcat Augustinus, praesertim vere in op. de doctrina christiana, ubi l. 1. c. 35. statuit: „Omnium quae dicta sunt, ex quo de rebus tractamus, haec summa est, ut intelligatur Legis et omnium divinarum Scripturarum plenitudo et finis esse dilectio rei, quae fruendum est (scil. Dei), et rei quae nobiscum ea re frui potest (i. e. proximi).“ Hinc infert c. 36: „Quisquis igitur Scripturas divinas vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita ut eo intellectu non aedificet istam geminam caritatem Dei et proximi, nondum intellexit. Quisquis vero talem inde sententiam duxerit, ut hinc aedificandae caritati sit utilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille quem legit eo loco sensisse probabitur, non perniciose fallitur nec omnino mentitur .... Ita fallitur, ac si quisquam errore deserens viam, eo tamen per agrum pergat, quo etiam via illa perducit.“

multum interest, quid res ipsa, cum agitur, moneat, et quid auditorum praesentia non solum ferre, sed etiam desiderare se ostendat. Cum autem celeritate opus est, vide, quam facile explicari tota res possit. Fac rursus adesse aliquem, qui velit esse christianus: ergo et interrogatum illud, quod superior, respondisse; quia et si non hoc respondet hoc eum respondere debuisse dicendum est. Deinde hoc modo et cetera contexenda.

52. Vere, frater, illa magna et vera beatitudo est, quae in futuro seculo sanctis promittitur. Omnia vero visibilia transeunt, et omnis hujus seculi pompa et deliciae et curiositas interibunt, et secum ad interitum trahunt amatores suos. A quo interitu, hoc est, poenis sempiternis Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, et non resistant misericordiae Creatoris sui, misit unigenitum Filium suum, hoc est, Verbum suum aequale sibi, per quod condidit omnia. Et manens quidem in divinitate sua, et non recedens a Patre, nec in aliquo mutatus, assumendo tamen hominem, et in carne mortali hominibus apparendo venit ad homines: ut, quemadmodum per unum hominem, qui primus factus est, id est Adam, mors intravit in genus humanum,

quia consensit mulieri suae seductae a diabolo, ut praeceptum Dei transgrederentur; sic per unum hominem, qui etiam Deus est Dei Filius, Jesum Christum, deletis omnibus peccatis praeteritis, credentes in eum omnes in aeternam vitam ingrederentur.

CAPUT XXVII.

Prophetias veteris Testamenti impletas cerni in Ecclesia.

53. Omnia enim, quae nunc vides in Ecclesia Dei, et sub Christi nomine per totum orbem terrarum geri, ante secula jam praedicta sunt, et sicut ea legimus, ita et videmus; et inde aedificamur in fidem. Factum est aliquando diluvium per totam terram, ut peccatores delerentur: et tamen illi, qui evaserunt in arca, sacramentum futurae Ecclesiae demonstrabant, quae nunc in fluctibus seculi natat, et per lignum crucis Christi a submersione liberatur. Praedictum est Abrahae fideli servo Dei, uni homini, quod de illo esset populus nasciturus, qui coleret unum Deum inter ceteras gentes, quae idola colebant: et omnia, quae illi populo ventura praedicta sunt, sic evenerunt, ut praedicta sunt. Prophetatus est in illo populo etiam Christus, rex omnium sanctorum, et Deus

venturus ex semine ipsius Abraham secundum carnem, quam assumpsit, ut omnes etiam filii essent Abrahae, qui fidem ejus imitarentur; et sic est factum: natus est Christus de Maria virgine, quae ex illo genere fuit. Praedictum esset per prophetas, quod in cruce passurus est ab eodem populo judaeorum, de cujus genere secundum carnem veniebat; et sic est factum. Praedictum est, quod resurrecturus esset; resurrexit: et secundum ipsa praedicta prophetarum ascendit in coelum, et discipulis suis Spiritum sanctum misit. Praedictum est non solum a prophetis, sed etiam ab ipso Domino Jesu Christo, quod Ecclesia ejus per universum orbem terrarum esset futura, per sanctorum martyria passionesque disseminata; et tunc praedictum, quando adhuc nomen ejus et latebat gentes, et, ubi notum erat, irridebatur: et tamen in virtutibus miraculorum ejus, sive quae per se ipse, sive quae per servos suos fecit, dum annunciantur haec, et creduntur, jam videmus, quod praedictum est, esse completum, regesque ipsos terrae, qui antea persequebantur christianos, jam Christi nomini subjugatos. Praedictum est etiam, quod schismata et haereses ex ejus Ecclesia essent exiturae, et sub ejus nomine per loca, ubi possent, suam,

non Christi, gloriam quaesiturae; et ista completa sunt.

54. Numquid ergo illa, quae restant, non sunt ventura? Manifestum est, quia sicut ista praedicta venerunt, sic etiam illa ventura sunt, quaecunque tribulationes justorum adhuc restant; et judicii dies, qui separabit omnes impios a justis in resurrectione mortuorum; et non solum eos, qui sunt extra Ecclesiam, sed etiam ipsius Ecclesiae paleas, quas oportet usque ad novissimam ventilationem patientissime sufferat, ad ignem debitum segregabit. Qui autem irrident resurrectionem, putantes, quod caro ista, quia putrescit, resurgere non potest, ad poenas in ea resurrecturi sunt: et ostendet eis Deus, quia qui potuit haec corpora facere ante quam essent, potest ea in momento restituere, sicut erant. Omnes autem fideles regnaturi cum Christo, ita resurgent in eodem corpore, ut etiam commutari mereantur ad incorruptionem angelicam: ut fiant aequales angelis Dei, sicut Dominus ipse promisit (Luc. 20, 36); et laudent eum sine aliquo defectu et sine aliquo fastidio, semper viventes in illo, et de illo cum tali gaudio et beatitudine, quali nec dici, nec cogitari ab homine potest.

55. Tu itaque credens ista, cave tenta-

tiones (quia diabolus quaerit, qui secum pereant): ut non solum per eos, qui extra Ecclesiam sunt, sive pagani, sive judaei, sive haeretici, non te hostis ille seducat; sed etiam quos in ipsa Ecclesia catholica videris male viventes, aut immoderatos voluptatibus ventris et gutturis, aut impudicos, aut vanis curiositatibus, vel illicitis deditos, sive spectaculorum, sive remediorum aut divinationum diabolicarum, sive in pompa et typho avaritiae atque superbiae, sive in aliqua vita, quam lex damnat et punit, non eos imiteris: sed potius conjungaris bonis, quos inventurus es facile, si et tu talis fueris; ut simul colatis et diligatis Deum gratis: quia totum praemium nostrum ipse erit, ut in illa vita bonitate ejus et pulcritudine perfruamur. Sed amandus est, non sicut aliquid, quod videtur oculis; sed sicut amatur sapientia, et veritas, et sanctitas, et justitia, et caritas, et si quid aliud tale dicitur: non quemadmodum sunt ista in hominibus; sed quemadmodum sunt in ipso fonte incorruptibilis et incommutabilis sapientiae. Quoscunque ergo videris haec amare, illis conjungere, ut per Christum, qui homo factus est, ut esset Mediator Dei et hominum, reconcilieris Deo. Homines autem perversos,

etiamsi intrent parietes ecclesiae, non eos arbitreris intraturos in regnum coelorum: quia suo tempore separabantur, si se in melius non commutaverint. Homines ergo bonos imitare, malos tolera, omnes ama: quoniam nescis, quid cras futurus sit, qui hodie malus est. Nec eorum ames injustitiam; sed ipsos ideo ama, ut apprehendant justitiam: quia non solum dilectio Dei nobis praecepta est, sed etiam dilectio proximi, in quibus duobus praeceptis tota lex pendet et prophetae (Matth. 22, 37. 39). Quam non implet, nisi qui donum acceperit Spiritum sanctum, Patri et Filio utique aequalem; quia ipsa Trinitas Deus est: in quo Deo spes omnis ponenda est. In homine non est ponenda, qualiscunque ille fuerit. Aliud est enim ille, a quo justificamur, aliud illi, cum quibus justificamur. Non autem solum per cupiditates diabolus tentat, sed etiam per terrores insultationum, et dolorum, et ipsius mortis. Quidquid autem homo passus fuerit pro nomine Christi, et pro spe vitae aeternae, et permanens toleraverit, major ei merces dabitur; quod si cesserit diabolo, cum illo damnabitur. Sed opera misericordiae cum pia humilitate impetrant a Domino, ut non permittat servos suos tentari plus quam possunt sustinere (1. Cor. 10, 13).

INDEX.

Pag.

Pag.

Index rerum

quae tomis 5—8. continentur.

A.

L.

M.

T.

U.

Praeter quaedam levioris momenti errata haec notentur:

T. V.	p. 4.	linea	20.	*καθαροῦς lege καθαρούς*, item pag. 9. lin. 23.
	p. 20.	»	15.	praeterientes *lege* praetereuntes.
	p. 63.	»	29.	velustate *lege* vetustate.
	p. 69.	»	7.	invehit *lege* invehitur.
	p. 81.	»	1.	*ἦ . . . χήρα lege ἣ . . . χήρη.*
	p. 97.	»	26.	a pero *lege* a puero.
	p. 107.	»	25.	Ecclesiae *lege* Ecclesia.
	p. 108.	»	26.	L. 1. *lege* l. 2.
	p. 111.	»	24.	Mor. l. 5. c. 27. *lege* Mor. l. 5. c. 29.
	p. 138.	»	23.	e. i. *lege* i. e.
	p. 143.	»	19.	offere *lege* offerre.
	p. 192.	»	2.	amisiti *lege* amisisti.
	p. 210.	»	31.	baptimo *lege* baptismo.
T. VI.	p. 133.	»	22.	nonnulos *lege* nonnullos.
T. VII.	p. 33.	»	25.	vigilarum *lege* vigiliarum.
	p. 37.	»	23.	rerum *lege* reum.

p. 86. linea 9. antiquis *lege* antiquus.
p. 136. » 25. praesentes *lege* praesentis.
p. 140. » 12. *ἄγνισμ᾽ lege ἅγνισμ῾.*
p. 143. » 18. *ἰχθῦς lege ἰχθύς,* item p. 143. lin. 21. *ἰχθύν.*
p. 157. » 29. consetur *lege* censetur.
p. 170. » 25. contrariarum *lege* contrarium.
p. 176. in numeri 15. titulo. De baptismi ministro *lege* De baptismi unitate.

A. M. D. G.